

24

D. D. B. V.  
DISSERTATIONE IN AVGVRALI  
**VITÆ ANIMALIS**  
CONSIDERATIONEM  
THEORETICO-PRA-  
CTICAM

PRAESIDE  
**DN. FRIDERICO HOFFMANNO**  
ORDINIS MEDICI SENIORE & h. t.  
DECANO

PRO DIGNITATE DOCTORALI  
LEGITIME CONSEQUENDA

*Ad diem Aprilis Anno MDCCXXXI.*  
PLACIDÆ AC PVBLICÆ ERVDITORVM  
DISQVISITIONI EXHIBET

AVCTOR  
**BALTHASAR LVDOVICVS TRALLES,**  
VRAT. SIL.

---

HALAE MAGDEBURGICAE  
Typis JOH. CHRISTIANI HILLIGERI. Acad. Typogr.

Dissertatio[n]e in vacuarii  
VULGAE ANIMALIIS  
CONSIDERATIONEM  
SUA THEORETICAM TRAI-  
CTICAM  
DNI FRIDERICO HOFMANNO  
PRO DICENTATR DACTORIALI  
M. HACCIUS AC PABLICÆ ERUDITIONAM  
BALTHASAR LUDOVICVS TRAVES  
Dissertatio[n]e in vacuarii

AUGVSTÆ REIPUBLICÆ  
VRATISLAVIENSIS  
PRÆSIDI ILLVSTRI·  
SENATORIBVS RELIQVIS·  
SYNDICIS AC SECRETARIIS·

MAGNIFICIS, GENEROSISSIMIS,  
MAXIMEQVE STRENVIS, EXCELLENTISSI-  
MIS, AMPLISSIMIS, CONSVL-  
TISSIMISQVE.

V I R I S  
GENERIS ANTIQVITATE CELEBERRIMIS,  
MERITORVM IN PATRIAM MVLTITVDINE  
SPECTATISSIMIS,  
MVNERVMQVE GRAVITATE VENERABILIBVS.

MÆCENATIBVS, PATRONIS,  
FAVTORIBVS  
SINGVLARI PIETATE  
ÆTERNVム DEVENERANDIS AC SVSPICIENDIS,  
DISSERTATIONEM HANC IN AVGVRALEM  
CONSECRATAM CVPIT  
AVCTOR.



Res Anni cum dimidio elapsi sunt, ex quo Divina benedictione fretus, Vestraque PATRES CONSCRIPTI suffultus Municientia, relicta Budorgi, sacrisque almae Hygienes initatus, partim in florentissima Lipsiensium academia, partim in celeberrima Fridericiana, ex ore eruditissimorum Virorum pendens artem salutarem addiscere studui. Jam ubi dulcissimam patriam repetere meditans, ante discessum sub Praesidio Principis Medicorum Seculi nostri publice tyrocinii rudimenta deponere, specimenque profectuum meorum (majorum forsitan omnia ex voto fluenter) exhibere, atque Iolemni examini subjecere jussus sum; & officium meum, & recens admodum beneficiorum Vestrorum memoria exigit, ut illud

Iud quod Vestro Favori acceptum refero,  
ea quæ meritis muneribusque Vestris de-  
betur, veneratione, ac pietate sacrum  
**VOBIS** dicatumque cupiam. En igitur  
leve & egenum quidem, sed sincerum  
devotumque humilis ac gratæ mentis te-  
stimonium! sola accedente Gratia Vesta  
cultius, dignumque quod **SVMMIS**  
**MÆCENATIBVS** offeratur, futurum.  
Annuite spei, quam insolita insomnisque  
qua Litterarum studia promovetis, cura,  
favorque incomparabilis quo musas de-  
relictas, orbasque solamine erigere, gene-  
roso consilio dulce ducitis, me concipere  
fecit; ac firmiter tenete perlungsum me  
per omnem vitam tantæ Munificentæ  
memoriam pio affectu veneraturum.  
Servet VOS, qui clavum Reipublicæ fe-  
licibus ausis moderamini, **DEVS** immor-  
talis diu salvos ac solspites, secundet ope-  
rosa

rosa quibus Patriæ salutem stabilire, con-  
servareque laboratis, molimina, rataque  
demum habeat vota ardentissima, quæ pro  
Splendidissimarum Familiarum Vestrarum  
perenni integritate & splendore per-  
petuo fundere nunquam desistam. VOS  
interea PATRES, Benevolentiam exo-  
ptatissimam qua absentem exhilarastis,  
brevi lares patrios salutaturo, oreque id,  
quod calamus recusat, fusius elocuturo  
haud denegate, foyeteque ulteriori Pa-  
trocrinio

ILLVSTRIVM ET MAGNIFICORVM  
NOMINVM VESTRORVM

Cultorem humillimum

BALTHAS. LVDOV. TRALLES.



Ulta utique argumenta existant, quæ dum artis nostræ salutaris splendorem atque decus in sublimiorem quandam locum collocant, id efficiunt, ut cum præstantissimis scientiis non sine aliquali audacia de prærogativa certare valeat. Etenim Divinæ Sapientiæ formaticis opus absolutissimum est, quod Medicus ceu unicum laborum suorum objectum contemplatur, & cuius ab interitu vindicationem opera consilioque intendit. At vero quam inanis nihilominus fieret omnis licet operosa pro hoc obtinendo fine speculatio, nisi DEVS immortalis corpus humanum machinam voluisse tanto artificio conditam exstructam, ut amicabili nexu in unum finem conspirantia organa cuncta sibimet ipsis physica quadam & mecanica

nica necessitate motū impriment, hujusque quod mirandum, beneficio, singulis fere momentis quod corruptionem ipsis minatur feliciter exutiant. Machinam dico; quiequid enim stupenda mechanico-hydraulica mortalium opera artificiosi continent, id non modo omne in corpore humano animadvertes, verum etiam longe excellentius conditum spectabis, ita ut nullus pateat locus qui vectes, elateres, trochleas, funes, canales, valvulas aliaque oculo curatius lustranti non exhibeat. Quo igitur præstantius est quod divinam providentiam ubique loquitur, opus, eo accuratori industria is qui curam ipsius quounque durat, suscipit, ejus naturam scrutari, atque quid conservatiōni amicum, quid minus, penitus nosse tenetur. Ego quidem quoties hoc facio, num organorum omnium fabricam egregiam, situm convenientem, motum determinatum, usum ad totius Oeconomiae salutem egregie facientem, num quod corporis partes omnes ex una eademque materia (quamvis quod ipsius elementa spectat hinc inde diversimode mixta) id est glutinoso-pingui terrestri coalnerint, mirari debeam, nescio. Hoc equidem assertum paradoxi quid fovere videtur, attamen ex ipsa hominis generatione, nutritione & resolutione veritas ejus evincitur, cui cum ceu basi totus quem meditor labor, sit superstruendus, meum erit paucis eandem clariorem efficere.

## §. II.

Intricatam & difficillimam explicatu genera-  
tio-

tionis materiam, quæ viros eruditissimos semper exercuit, juvenis temere aggrediterer, si eandem penitus evolvere ausus fuisset; veniam tamen facile impetraturus, quando aliqua ad scopum directa huc saltem traxero. Ex ovo generari hominem plurimi Autorum statuunt, quamvis quoad situm ovarii inter se non convenient, quod alii extra uterum, alii circa illius cervicem ponunt; posteaquam enim *cl.*  
**NABOTHVS** posteriorem hypothesin produxit <sup>a)</sup> atque haud levibus argumentis stabilire conatus est, non pauci Celeberrimorum virorum ipsi assensum præbuere, quos inter eminentem *Illustrem HOFFMANNVM* <sup>b)</sup> nominasse sufficiat. Mitto tamen hæc libenter, neque etiam huic subtiliori controversia me immisceo, num ante conceptionem jam futuri hominis rudimenta existant, quod ex *MALPIGHII* cicatricula verisimile evadere videtur, <sup>c)</sup> cuius etiam experimentis nixus hoc cum aliis afferere non dubitat *BOHNIVS*. <sup>d)</sup> Nec moror animalcula a multis asserta; quæ cum spermate per poros dilatatos glandulosæ ovi membranæ intrare contendit *BOERHAAVIVS*, <sup>e)</sup> nec inquirō in eorum placita, qui Animam sibi ipsi ad certos fines construere corpus cœu habitaculum futurum arbitrantur. Sufficit mihi, quod nulli harum hypothesium vim inferam, quando aſſe-

A 3

ro

<sup>a)</sup> Vid, ejus Dissertatio de Sterilitate mulierum. <sup>b)</sup> Med. System, Lib. I. Sect. II. Cap. 12. <sup>c)</sup> Conf. ejus Tractatus de ovo incubatu. <sup>d)</sup> Circ. Anat. Progym. I. <sup>e)</sup> Instit. med. §. 673.

ro ex ovuli humore glutinoso & albumini ovorum secundum supra laudatum NABOTHVM *f)* & HEISTERVM *g)* docente hoc etiam ipsa autopsia, si millimo, stamina futuri hominis quounque demum tempore hoc fiat, sine dubio efformari, augeri, & quamdiu placenta nondum efficta nullum huic cum uteri vasis nexus est, nutrita; non secus ac pullus testis adhuc inclusus a circumfuso liquamine conservatur. Nec alia efformata jam placenta augendo indies foetui accretionis materia, amnii enim liquor quo ipsum conditis jam digestionis officinis per os nutritri experimento probat HEISTERVS *h)* docente BOHNIO *i)* in gelatinam leni igne est coagulabilis, sanguisque qui per venam umbilicalem ipsi accedit, eo quod lymphaticum succum ejusdem indolis secum vehit, ad ipsius augmentum facit. Atque haec ipsa lympha defæcata subtilisata, per omnem hominis vitam fluidorum & solidorum defectus resarciendo unicum positivæ ejus conservationis fundamentum est, id quod ex modo quo Natura vulnera glutinat, celeriorique incremento post eorum, quæ lymphæ preventum liberaliter instaurant, crebriorem usum, aliisque phænomenis patescit. His ita deditætis, si porro curatius perpendimus illud BOERHAAVII *k)* solida a fluidis non nisi quiete, cohæsione, figura, differre, sequetur facile corpus omne ex liquidiori mucosa substan-

*f)* Loc. cit. *g)* In Comp. anat. p. 44. *h)* In notis Comp. anat. p. 37. *i)* I. c. Progymnaf. II. *k)* Instit. med. §. 443.

stantia coalitum , etiam quoad solidiores partes iterum in eandem debere posse resolvi , eo facilius quo recentior est ipsa particularum concretio & coalitio : hincque ratio fluit , cur RVYSCHIO <sup>1)</sup> oblati teneiores embryones sub manibus ejus in ejusmodi liquamen abierint . Imo hæc ipsa partium omnium corporis in glutinosam materiem ne ossibus durioribus quidem exceptis , resolutio , quamvis difficilius , feliciter tamen & in corporibus adulorum succedit . Testes profero Machinam Papinianam , & cum , hac in parte brutorum corpora , humano æquiparare fas sit , carnes eorum juscule gelatinosa largientes , ossa mucidam substantiam coctione suppeditantia , corium glutini conficiendo adhiberi solitum , ut alia taceam . Et hæc quidem simul spectata ad probandam propositionem nostram sufficere arbitror .

## §. III.

Hoc igitur mucido-pingue & glutinosum magma , ex quo omne corpus animale conflatum observatur , ulterius a nobis spectandum est . Actum sèpifime ageremus , si ejusdem ex ipsa mixtione pendentem ad corruptionem subeundam proclivitatem describeremus fuse ; ad alia potius properantes in transitu ordinis observandi ergo notamus : oleum , terram , & aquam vera illius esse principia ; adeoque corporis durationem ex horum cohæsione & miscela pendere non posse . Etenim oleum & aqua omnem unionem

1) Conf. Thef. anat. VI. p. 32.

nem respuerent, nisi intercederet terra, quoties igitur adfuerit id, quod hanc recipiat atque exsolvat, ita ut oleosæ moleculæ ceu præ reliquis activæ, fiant liberiores, toties aderit elementorum resolutio, vel quod idem corruptio. Jam concipe solius atmosphæræ cui corpus expositum esse tenetur, naturam, ætheris quoque in sulphurea corpuscula vim, & videbis ærem humidum simul & calidum in destructione mixtionis animalis maximum exercere imperium, moxque in eadem nullo alio respectu considerata, hoc posito, poni debere bellum intestinum, unionis rupturam, mutuasque partium a se invicem secessiones; ut ita clarum evadat, corpus, si id per se spectetur, minus esse durabile, sed vel singulis momentis ruinas obnoxium.

## IV.

Hæc omnia meditantes sollicite maximopere miramur, mentem immortalem, absolutæ omnemque indaginem mortalium excedentis perfectionis spiritum, in æternum uti ipsa divinitus data revelatione edocemur, duraturum, tam fragile tam caducum, naestum fuisse domicilium. Evidem, si quantum imbecilles hac in parte humani ingenii vires permittunt, ejus operationes solis cogitationibus & ratiocinationibus absolvendas concipimus, hasque non nisi certis subministratis ideis componendas, ad perceptionem harum necessariam sensationem, hujusque iterum in organum adsit definite ab objecto ferendum, impossibilitatem, probe pensitamus; Mentem vel hoc solo respe-

respectu, quam diu in orbe versatur, organis certis  
instructo corpore carere haud posse, clarum eva-  
de-re videtur. At nisi audaces nimis & injurii in sapien-  
tissimam DEI providentiam evaderemus, quæsto-  
nasceretur, numine illud ex materia magis durabili, &  
corruptioni per se minus obnoxia, extrui potuerit?  
Sane quid hic respondendum veniat, nil fere suppe-  
tit. Nihilominus tamen, quando præter digitum DEI  
omnia ita effingentem ut bona existant, animam fo-  
lo corporis intercessu sentientem, singulos fines ad  
quos impetrandoz hoc, secundum sentientis & cogi-  
tantis nutum, diversimode erat movendum, hincque  
duplici hoc respectu necessariam teneritudinem, & ad  
motum aptitudinem, cum his quasi connexam mol-  
litiem & flexilem indolem, atque inde fluentem ma-  
jorem longe, quam corporibus naturalibus solidio-  
ris texture est, ad ruinam proclivitatem, considera-  
mus; vis hujus dubii, quod prudentioribus do-  
ctius agitandum & excutiendum lubentissime relin-  
quo, aliquo modo minimum corruere videtur. His i-  
gitur suppositis, si verum est conditum corpus esse pro-  
pter animam, nexusque inter hanc & illud dari ar-  
tissimum, ita ut eo destructo aufugere quasi teneat; si porro verum est, quod anima ex nutu creatoris ad cer-  
tum tempus existere in orbe debeat, sequitur, corporis  
conservationem omni modo præstandam fuisse, quæ,  
qua ratione eveniat atque stabilietur, sequentibus vide-  
himus.

**B** V. Ad.

B

V. Ad.

V.  
Adstructa necessitate conservationis in usus  
mentis immortalis exstructi corporis, ubi illud ex di-  
versis partibus, generatim vero fluidis & solidis con-  
flari spectamus; quæ harum eadem præcipue effla-  
gitent, videndum erit. Utrasque ex iisdem elemen-  
tis, licet diversa ratione mixtis, coalusse, ex §. 2. inno-  
tuit, ergo in utrasque etiam cadet corruptio. At ve-  
ro, cum ea non nisi in mutua principiorum a se invi-  
cem secessione, & evolutione consistat, cum hæc præ-  
sentibus eam ciere valentibus causis, quo laxius elemen-  
ta inter se cohærent, eo facilius citoque, quo arctius au-  
tem, eo difficilius, ossibus id testantibus, contingat, hinc  
que præsente humiditate mire promoveatur; facile clau-  
rum est, cur fluidorum ad corruptionem subeundam,  
quam solidorum, major sit proclivitas. Porro quoniam  
corpus animale ex natura sua ad corruptionem putredino-  
fam maxime inclinat, putredo autem semper sui  
est multiplicativa, omnis vero corruptio fluida præ  
solidioribus citius contaminat, ita ut horum nulla de-  
tur, nisi illorum præcesserit; sequitur, si conservatio  
corporis præstanda est, & ejus ruina avertenda, flu-  
idorum maxime rationem esse habendam.

## VI.

Posito igitur in fluidorum integritate, omni  
conservationis corporis animalis fundamento; qua  
ratione hæc absolvatur, atque absolvi possit, ex di-  
ctis hactenus haud difficulter intelligemus. Cum i-  
gitur res omnis eo redeat, ut avertatur corruptio, cum  
hæc

hæc maxime sit putredinosa; putredinis autem principium, docente id peculiari Diff. Illustr. Dno. PRÆ-SIDE <sup>m)</sup> unice querendum sit, in corpusculorum sulphureorum a terreis compagibus liberatione & evolutione: elucescit abunde, putredinem arceri melius certiusque non posse, quam si hæc evolutio quantum fieri potest caveatur, atque hac cautione non obstante nihilominus sensim evolutæ ejusmodi inimicæ moleculæ, ne vitium latius propagent, quam citissime penitus excutiantur & proscriptibantur. Atque hæc sunt duo magna illa momenta, quibus omnis fluidorum crasis legitima nititur, & unice niti poterat, & quibus adeo bene se habentibus, ipsa solidorum conditio mixtioque sarta atque tecta ponebatur. Verum nondum sufficiebant, sed cum indirecte saltem ad durationem corporis faciant, unum adhuc directe magis illam promovens stabiliensque, requirebatur. Scilicet, probe ne seditionem moverent, custoditis particulis rebelibus, atque etiam sensim evadentibus ejectis prorsus, ipsa animalis Oeconomia debilior reddit, atque continuam hanc jaeturam haud sine damno ferens, nihilominus tandem occumberet, nisi congrua fieret amicarum molecularum accessio. Huic ergo momento, non minus quam reliquis erat prospiciendum. Atque ex his consideratis curatius, emergere incipit maximi ponderis veritas, salutem corporis niti egestione, & ingestione,

## B 2 VII.

---

<sup>m)</sup> De Putredinis Doctrina amplissimi in Medicina usus.

VII.

Accessionem laudabilem & amicarum molecularum, quam summe necessariam innuimus, jam brevibus indagatur; qua ratione haec aliunde corpori supeditari queant, ulteriori meditatione ut assequamur, allaborabimus. Laudabiles eas esse quae ad relarcendos defectus, seu quod idem est, ad nutritionem praestandam sunt accommodatae, jam innotuit. Quoniam itaque haec nutritio nil aliud, quam certam appositionem involvere potest, patet hanc felicius non celsaturam, quam si adfuerint corpuscula ejus indolis, ut connubium cum iis quibus accedere debent, inire facile possint, id est talia, quae a natura corporis non ab ludunt. Cum igitur per §. 2. clarum sit, hoc totum effectum esse ex materia pingui, glutinosa, manifestum evadit, & talem requiri ad ejus nutritionem. Jam circumspiciendum erat, quenam corpora naturalia hac foeta existant, ubi utique varia alimentorum nomine venire solita, obveniunt. Non nimium extra oleas vagari animus est, alias fusius ex hoc capite, facileque demonstraremus, non omnibus eduliorum generibus, saepissime pro solo gula oblectamento confectis, alimentorum denominationem convenire. Breviter tamen monemus, ex hac gelatinosa materiae majori, minorive presentia, ejusdemque blandiore vel rudiore indole, salubritatem & insalubritatem alimentorum egregie posse dijudicari. Hinc igitur scimus, cur animale regnum, praereliquis, hunc finem promoventia multa exhibeat, cur carnes animalium juniores, lac,

ova, robur corporis manifeste instaurent, quomodo & vegetabilia multa animalia nutrient, (licet egregie notante CELEB. JVNCKERO <sup>n)</sup>) necessum fit, ut antea mucilago eorum ad acidam fermentationem prona, levitanspositione transeat in subtiliorem materiam, magis ad alcalinas volatiles putridas dissolutiones inclinante, qualis est gelatina animalis.) Cur vinum licet generofissimum, medicamenti potius, quam alimenti nomen promereatur, cur mineralia, lapides, ligna, ad nutritionem plane sint inepta, & alia quam plurima.

## VIII.

Alimentorum naturam latius paulisper, quam scopus noster requirere videbatur, exposuimus; nec tamen ea incassum protulisse putamus, quæ genuinam & proximam nutritionis materiam clarius exponunt. Progredimur jam ulterius, & dum in omnibus fere alimentorum generibus, ad hanc suppeditandam aptas moleculas, aliis crudioribus inertibusque, hinc ad præfixum finem minus idoneis, immersas deprehendimus; facile etiam colligimus, quod illæ ex his involucris prius extricande sint, antequam usibus congruis inservire valeant. Hæc autem evolutio vix melius succedere poterat, quam intima alimentorum omnium in sua veluti principia resolutione, qua sit, ut bona a noxiis, blandiora a rudioribus egregie separantur. Quis autem non videt, adminiculis variis ad

B 3

hoc

---

<sup>n)</sup> In Conspectu Chemiæ Tab. de Syncrifi & Diacrifi.

hoc negotium absolvendum opus fuisse; atque hinc pendet omnis organorum masticationi, digestioni, chyli elaborationi, separationi, perfectioni, distributioni dicatorum apparatus, totus ad nutritionis finem obtinendun adornatus. Nos brevitati strudentes, his rebus non inhæremus, chylum saltem per consuetas migrantem vias, docente illas Anatome, in venam subclaviam comitamus.

## IX.

Hic vero dulcis, blandus, miroque candore splendens humor, absoluto hoc itinere, novum ingressus, purpureum offendens laticem, totus in illius amplexus ruit, junctusque ei arctissimo connubio, exuto sensim pristino colore, induit hujus naturam, plane aliam novamque exhibet faciem, sanguis visitur, succedentem sibi, eandemque semitam decurrentem succum pari ratione immutaturis. En ergo novum metamorphoseos in œconomia animali obvenientis specimen, novis meditationibus ansam suppeditans! Subeat igitur præeunte ill. Dno. PRÆSIDÈ o) examen sanguis humanus, & sistet nobis elementa, gelatinosum, sulphureum, terreum, aqueum, invicem quidem confusa, sed levi encheires seorsim demonstranda. Nos inde ex posterioribus perspicimus illius sumimam ad corruptionem subeundam proclivitatem; quid enim aliud si genesin species sperandum erat? ex priori, ad nutritionis negotium, quod ipsi

una

o) In Observ. physico chym. Lib. II. Obs. 21. p. 210.

una cum chyloso humore committebatur, aptitudinem; ex omnibus simul spectatis indelem summe heterogeneam. Atque ex hac abunde apparet, a sanguine in se spectato, & durationem & ruinam corporis pendere posse; cum tamen hæc omni ratione sit avertenda, illa quantum fieri potest stabienda, vindendum, qua methodo scopus feliciter impetretur. Impetrabitur autem, si satisfactum fuerit & circa ipsum sanguinem, tribus illis momentis, quibus §vo. sexto in genere omnem conservationem corporis nititi diximus: hoc est, si prohibetur molecularum attractivarum salino-sulphurearum, motumque hinc noxiun inducere aptarum evolutio, si sui juris factarum promoveatur excretio, si laudabilem in omnibus partibus, ubi defectus adest, fiat apposito.

## X.

Quod igitur evolutionem spectat, illa, quomodo prohiberi possit, discemus ex observatione illius status sanguinis, qui eidem præcipue est exppositus; quod si igitur possibile fuerit eundem evitare, præpedietur etiam ipsa evolutio. Jam autem experientia edocemur, sanguinem e vena missum quiescentem & sibi relictum, secessionem principiorum, & extricationem particularum sulphurearum, hujusque pedissequam putrilaginem pati citissime, agitatum autem non æque; inde concludimus hanc carveri certissime debere vitatione continua quietis. Hæc vero contrariam involvit conditionem, uno verbo motum, ergo sanguinis motus continuus erit genuinum

nuinum contra putredinem remedium , hujus enim beneficio omnia elementa inter se miscebuntur , & mixta servabuntur , ita ut a se invicem exsolvi haud valeant . Porro quoniam quodvis corporis punctum nutritionem sui postulat , quoniam nutritio accessu gelatinosarum molecularum absolvitur , haec autem sanguini inexistunt ; ille , quem continuo movendum iuximus , continuo ad omnes extremitates corporis erit movendus . Denique , quia teste experientia , totus hic sanguineus humor , non solum quandocunque consideratus , sordibus noxiis cum ipso etiam chylo allatis scatet , verum etiam quoad laudabiles particulas , ipso motu & calore in falsum & sulphureum liquamen factiscit , p) collectae impuritates , sensim noxiæ futuræ , erunt segregandæ & excernendæ . Cum vero secreto supponat organa secretoria , sanguis ipse inquinamentis resertus , propter dictos supra fines , continuo & ad omnem ambitum corporis dirigendus , simul ad omnia colatoria movendus erit . Solus ergo motus sanguinis sufficit omnibus præstandis , ad durationem corporis quæ requirebantur .

## XI.

Et hujus quidem veritatis inventum læti arti nostræ salutari gratulamur , quippe cujus defectus id olim efficiebat , ut omnis antiquior Medicina in multis cœca , in omnibus manca & mutila deprehensione dera-

p) Conf. Illustr. HOFFM. Obs. physico chymicæ l. 2, obs. 21. p. 209.

deretur. Nos postquam immortalis HARVÆVS, sine  
dubio primus, felicissimis auspiciis perenne undarum  
harum purpurearum flumen detexit; ea, quæ olim  
obseura & intricata, imo impossibilia explicatu vi-  
debantur, facilia cognoscimus, & solide perspecta  
possidemus, meritoque hinc sanguinis circuitum ge-  
nuinum vitæ principium salutamus. Quanta itaque  
sit hujus considerationis utilitas, quanta necessitas  
medico prudenti incumbat causas hujus phæno-  
meni accuratius nosse, quanta denique necessitati jun-  
cta voluptas, id scrutandi curatius, quod infinita ad  
artem nostram certiorem & feliciorem reddendam  
elargitur, quilibet harum rerum gnarus satis perspi-  
ciet. His igitur deliciis allecti, incitatique, proveha-  
mur ulterius, & ex mechanicis in memoriam revo-  
cantes, omnem motum, movendi corporis ad muta-  
tionem loci aptitudinem, spatum per quod illud pos-  
sit moveri, & denique vim motricem supponere; hæc  
omnia, & circa sanguinis motum, nos inventuros, eo  
confidentius speramus, quo magis de mechanismo  
corporis humani persvasi sumus, atque convicti.

## XII.

Quod itaque spatum primo attinet, quando o-  
mnis fluidorum motus, eorundemque definita, &  
proportionata ad proposita loca directio, melius haud  
absolvitur, quam si eadem alveis, tubulis, atque ea-  
nalibus congruae magnitudinis, vehenda & dirigen-  
da committuntur: ita idem illud artificium in cor-  
pore humano præstare voluit Divinus Architectus,

C

ea

ea quidem ratione, ut aliquibus saltem partibus exceptis, reliquæ omnes ex meris vasis diversæ magnitudinis coalitæ appareant. Evidem ubi ad indagandam veritatem ejusmodi asserti, oculorum acies haud sufficit, fidem illud vix ac ne vix quidem inter eruditos etiam inveniret, nisi ubique hodie, & nemini, nisi plane in anatomicis rudi, ignota exstante perpetuo duratura Ruyshiana diligentia monumenta, vasculosam partium structuram, beneficio subtilioris injectionis, prorsus admirando artificio demonstratam exhibentia. Imo si his jungantur LOEVENHOEKII observationes & experimenta, unice microscopiis accuratis debita, atque hæc ipsa oculum, fabricam cera Ruyshiana impletarum partium lustrantem, arment; stupendum hoc paradoxon elegantissimo spectaculo extra controversiam ponitur. Neque aliquid huic veritati detrahet amica illa dissenio, quæ de fabrica viscerum, vel glandulosa, quam post Malpighium hodie adhuc defendit *cel.* BOERHAAVIVS, vel mere vasculosa, quam RVYSCHIVS cum multis quos nactus est asseclis afferit, fuit enata. q) Præter ea enim, quæ hujus partes suscipiens commentatus est *cel.* HEISTERVS, r) mil amplius, ad nostrum assertum firmandum desideramus, satis

*gnari,*  
q) Conf. Opusculum anatomicum de fabrica glandularum, seu epistola BOERHAVLI & RVYSCHII de hac materia. Lugd. Bat. 1722. r) In defensione sententiae suæ, de glandulis, Comp. Anat. p. 226.

gnari , & glandulam sive conglobatam , sive conglomeratam , si fibrosas forte membranas , quibus involvuntur , excipias ; nil nisi congeriem esse minutissimorum vasculorum , ductuumve varie saltem convolutorum , implicatorum , distributorum . Sistitur adeoque cuivis , humanum corpus accurate adspicienti , absolutissimae & omnem humanam artem excedentis perfectionis opus hydraulicum , cuius canales mire inter se connexi , vitales undas prompte per universum Microcosmum deducunt , mutuisque licet diversis admodum officiis , ejus integritati inservientes , stupendam digitii DEI potentiam tacite eloquuntur .

## XIII.

Neque tamen mare hoc purpureum per vasorum omnium alveos volvi , ac undique se diffundere poterat , nisi conditus veluti in centro quodam extaret fons , perenni scaturigine undas evomens , atque easdem appensis canalibus committens . Jam vero ex dictis hactenus patescit , jugem requiri , continuumque fluminis vitalis ad omnia extrema corporis appulsum ; nihilominus in ipso corpore certa tantum , & definita existit , & existere potest sanguinis quantitas , hinc clarum fit , impossibilem esse hujus , e fonte suo , continuum effluxum , nisi debita quantitate ad eundem deductus , ipsi iterum infundatur . Exinde discimus , cur cor animalium hydra contisterii officium ac fabricam , quae multis modis variari potest , monstrante hoc celeberrimo HAM-

C 2 BER.

BERGERO <sup>s)</sup> naectum fuerit? cur duplex sit in corpore progressivus sanguinis motus? quem utrumque simul spectatum circuli nomine salutamus: cur duplicitia dentur vasorum genera? cur arteriae, cur venae? Imo, cum priorum beneficio, partes corporis omnes, earumque extrema, latice vitali sint irriganda, rationem assequimur, cur copiosissimæ, cur minutissimæ conditæ fuerint arteriolæ. Cum per has æquabili flumine, sufficienter & continuo circulari debeat sanguis, causa in promptu est, cur opus fuerit capacibus & majoris diametri truncis. Cum is venulis exceptus, versus communem fontem sit deferrendus, quām egregie anastomoses vasorum hoc negotium facilius efficiant, clarum evadit. Cum vero sic emergat iterum maximus venularum numerus, sanguisque quantitate congrua simul cordi sit infundendus, perspicitur sufficientis amplitudinis tubolorum venosorum necessitas. Et ex eodem fundamento scitur ratio figuræ vasorum conicæ, ut alia jam brevitatis causa prætermittamus.

XIV.

Spatium igitur quod sanguini decurrentum est, viasque, oculo fugitivo postquam lustravimus, jam de motrice vi dicturi, rem aggredimur altioris indaginis, & a multis retro seculis diversa ratione explicatam. Imo quis nostra ætate de motuum, & speciem vitalium corporis humani natura, eorundemque causis, motas controversias ignoraret? Intacta hæc relinquemus lubentissime, non omnibus probata

¶ Dissertatione de Deo ex inspectione cordis demonstrato,

bata prolaturi, nisi speciminis nostri ratio aliud sva-  
deret, neque tamen eorum pudet, quæ methodo  
plane demonstrativa susulta nos didicisse impense læ-  
tamur. Profsus vero exuto, & abjecto omni p æju-  
dicio, ingenuo homine penitus indigno, candide &  
modeste, quicquid sentimus, exponamus. Omnis sci-  
licet cardo rei in eo vertitur, num motus, & maxime  
de quibus jam nobis sermo, vitales, a causa meta-  
physica moraliter & ad fines agente dependeant?  
aut, num tanquam effectus necessarii, causarum mere  
physicarum & mechanicarum considerandi veniant?  
Prior sane hypothesis, antiquitate maxime se commen-  
dere videtur, quem enim jam a longo tempore asser-  
ti archæi, spiritus vitales, animaque motuum præ-  
sides fugerent? quo ipso etiam factum est, ut nulla  
materiæ vis motrix, agendique potentia attribuere-  
tur, sed potius, ut tanquam mortua inersque reli-  
cta maneret, & ubi motus explicandus erat, spiritua-  
le principium in auxilium vocaretur. Primus vero  
huic sententiæ obviam tandem ivit *Illustris Dmns. PRÆ-  
SES*, <sup>2)</sup> quippe qui adhuc ante LEIBNITIVM, alios-  
que celeberrimos circa finem superioris Seculi flo-  
rentes, ac aliter sentientes Physicos & Mathemati-  
cos,

C 3

2) Vid. ejus Dissertationes de corporibus illorumque princi-  
piis & affectionibus: de corporum motu ejusque causis: de cor-  
porum motu ex gravitate ortis, habitæ anno 1695. quibus adden-  
da ea, que de universalis agente in corporibus agit & anno 1697.  
ventulata est.

cos, felici ausu docere & demonstrare incepit, concreata & inditam esse materię, corporibusque vim, & nisum perpetuum, cuius virtute sola motus certi & definiti produci queant. Et sane, si id saltem probe pensites, corporibus inesse gravitatem, seu quod idem nisum versus terrae centrum, ita certe, utposito corpore, mox ponatur gravitas, quamvis specifica, haecque solo tantum intellectu ab eo abstrahi queat; facile concipies, corpus aliquod virtute hac insita, premendo, & gravitando, alterum e loco suo exturbaturum sine dubio, nisi hujus resistentia nisu illius sit superior, quo ipso mox observabis motum, nullam vero in toto hoc universo quietem, nisi cogites concurrere corpora, cuius unius nisu cum alterius resistentia servat æquilibrium. Illustrat hoc uberior Statice, quis igitur negaret? elasticum corpus, alias gravitate nisuque, e situ suo ad certum gradum pressum, connata, intrinseca, & ab ipsa connexione partium constituentium pendente potentia resilire, resiliendoque quicquid occurrit ipso debilius, impellere, protrudere, movere. Quod si igitur demonstrari potest, & corpus humanum ejusmodi viribus motricibus, ipsis propriis, instructum existere, cur ea, quæ vel sensibus obvia sunt, facile negligeremus? cur causas physico-mechanicas, proximas, manifestas, remotas, methaphysicas, intricatis, & saepe conceptu diffilimis, præferendas duceremus?

## XV.

Sit ergo nobis elater fibratum, eique ortum debens

bens systole, genuinum motuum vitalium, imo vero omnium functionum corporis principium. Elasticum Physicis dicitur id, quod nisi alter corporis cedit, eo autem cessante aut imminuto, se iterum in pristinam figuram & tensionis gradum restituit. Hanc vero virtutem omnibus esse corporis fibris, musculosis, tendinosisque, uterus excluso foetu sponte se contrahens, abdomen flatibus distentum, iisque exclusis subsidens, aliaque phænomena, uno conspectu ab Illustr. Dno PRÆSIDE exhibita <sup>u)</sup>satis demonstrant, quibus chordas musicorum, manifeste elasticas, ex fibris animalium confectas, accensere fas sit, ut ea jam, quæ pro illustratione hujus rei ex SANTORINO <sup>x)</sup> huc trahi, BAGLIVOQVE <sup>y)</sup> possent, silentes prætereamus. Elastica ergo est quævis fibra, imo ad contractionem sui, testibus ossibus luxatione facta retractis, labiisque vulnerum hiatum relinquenteribus, quasi natura sua proclivis. Jam igitur ubi cor examini subjicimus, illud totum ex ejusmodi fibris contextum spectamus, hinc merito conjicimus, si adfuerit impetus, easdem simul omnes, ab omni parte, distendens ad certum gradum, mox æquali vi, contractionem lege elasticitatis fore insecuroram, eamque, quod cedere aptum est, vehementer excussarum, hinc moturam. Ergo clara est cordis vis motrix ipsi essentialis. Quodsi vero probe pensitemus, quam excellens mechanismus

---

<sup>u)</sup> Med. syst. I. I. sect. I. c. 4. §. 3. <sup>x)</sup> de Structura & mo-  
bi fibra. <sup>y)</sup> Tr. de fibra motrice.

mus in structura hujus visceris, & collocatione harum potentiarum in fibris repositarum, occurrat; quo factum est, ut ipsius virtus mirum quantum augeatur, eandem longe maximam esse jure declarabimus. Brevisbus jam notamus prærogativam illam, qua cordis musculus præ aliis corporis pollet, quippe simplici motu, & sine vectis auxilio, potentiam suam exerens, uti BORELLI z) demonstrationibus edocemur. Nec prætermittimus orificia arteriosa sanguini exitum concedentia, capacitatis distributionem longe minora, appensosque his tubos longiores; quæ omnia quantum valeant, ad motum fluidorum fortiorum redditum, ex hydraulicis discimus. Referimus porro egregiam fibrarum distributionem, helicis, circa conum maxime, figuram æmulantium, qua factum est, ut maximum accederet potentiae augmentum, coneni cum impetu versus basin accedente, vis cordis omnis circa orificia, quibus exire debet sanguis, quasi in centro colligitur, isque hac ratione stupenda vi ejic itur. Tacemus vero, ne nimis prolixius simus, columnas ventriculorum carneas, ceu totidem parvos musculos eximie visceris actioni succurrentes. Tace mus auricularum, valvularumque, mechanicam fabricam, totam circulationis negotio accommodatam, aliaque, si unquam alibi in corporis machina, hic certe notatu dignissima; & pauca quæ adducta sunt, pro demonstranda cordis virtute aboluta longitude maxima, sufficere rati.

XVI.

z) De motu animalium.

## XVI.

Quoniam vero omne punctum circa motum cordis, versatur in impetu fibras ad certum gradum distendente, & hac ratione contractionem, veram actionem, & motricem vim provocante; unde hic accedit, ut eloquamus, non diu hærebimus, cum eundem in gravitate elatereque ipsius sanguinis collocandum esse, non abs re statuamus. Degravitate nemo facile dubitat, elaterem autem egregiis argumentis evincit *cel. TEICHMEYERVS*, a) quæ inter unum sufficit: sanguinem æthere fœtum esse: qua veritate posita, (ut ipsius Autoris verbis utamur) jejenum esset, in eo contenti proprietates denegare, præcipue, (id quod nobis adjicere visum est) si adsit, quod ejus actionem ljuvat, nil vero quod coërcet. His ergo præsuppositis, fingamus tantisper cordis ventriculos cum auriculis plane vacuos & quiescentes, ponamus circa laccos Lowerianos venarum, cavæ & pulmonalis, auriculasque, colligi quacunque demum ex causa sanguinem. Hic ergo collectus proprio quasi pondere, nulla præsente resistentia, ruet in ipsis auricularum cavitates, easque undique gravabit atque distendet. Permittent etiam distensionem donec fibrae summum tensionis gradum acquisiverint, in hoc autem constitutæ, renitentur lege elasticitatis, restitutionem in pristinum ex quo dimotæ erant locum affectabunt, cedet sanguis tanquam corpus fluidum

Dicitur imo

a) *Diss. de Elatere Sanguinis.*

imo elasticum, renisum sustinere haud valens, coarctatoque sic quo continebatur spatio, dum premitur undique, impetuose aliquorsum pelletur. Jam autem in venas continuo refluxus crux resistit valde, nihil autem corde tunc laxato, in ventriculis, valvulis simul tricuspidalibus & mitralibus lubentissime ex fabrica sua cedentibus, ergo mox sanguis auricularum, magna vi intrabit cavitates ventriculorum. Commissus sic constrictione auricularum fortiter, motu calidus factus, hinc rarefactus, summeque expansus, quiescentes, & in eo statu ut impetum ferant, constitutas offendit eorum fibras, hinc premit, distendit, intrat libere, donec renitantur, resiliant. Hinc ipse iterum coactus, compressus qua data porta profiliare gestit, exitum vero cavent valvulae tricuspidales & mitrales, permittunt semilunares, ergo ejicitur in arterias aortam & pulmonalem. Eodem vero quo hoc contingit temporis momento, lege perpetua auriculae colligunt crux mox exprimendum, cordisque ventriculidis post constrictiōnēm iterum laxatis committendum, a strictis his denuo, ulterius propellendum. Atque sic eadem prorsus per omnem vitam scena luditur, beneque cor, notante laudato supra HAMBERGERO, officium hydracontisterii subit, hac saltem differentia quod nullus hic detur embolus, sed ejus vices suscipiat systole.

XVII.

Omni Virtute cordis ita proposita, quam ab elatere fibrarum, aliisque adminiculis, quibus maxime influ-

xum

xum sanguinis coronarii adnumerandum habemus,  
deductam stitimus, nunc ulterius provehimur. Cum  
igitur Mechanici, vires motrices absolutas non tan-  
tum, sed quammaxime simul molem corporum mo-  
vendarum, eorundemque resistantias mensurare tene-  
antur; ut, num illæ his superandis sufficient, sive mi-  
nus? certum reddatur; nos, vis cordis absoluta ( quam  
cum aliis KEILIVS <sup>b)</sup> calculo assequi conatus est )  
quanta sit non inquirimus; sed ardua magis, nobis,  
& si usum infra clariorem futurum species, maximi  
momenti in arte nostra nascitur quæstio: an illius vir-  
tus volvendæ per universum corpus sanguinis humo-  
rumue moli par sit habenda? atque an adeo ab illi-  
us systole sola omnis pendeat circulus? Nos quidem æ-  
stimatis gravibus rationibus, negativam sententiam tu-  
eri haud veremur; quando enim minimam vaſculorum  
extremorum compagem, quando intricata eorum  
hinc inde, & tortuosa itinera, quando figuram co-  
nicam intuemur, non exigui ponderis argumenta pro  
nostra parte stantia, nobis invenisse videmur. Acce-  
dit adscensus sanguinis venosi, propria sua gravitate  
deorsum tendentis difficultis, accedit ejus perennis, in  
omni venoso vase versus capillares arterias, pressio  
& gravitatio, que fluidi in his contenti exitum &  
transgressum prohibet atque moratur. Nec illud  
prætermittendum, arterias, flexiles, non duras tunicas  
fuisse nactas: quibus positis, impetus e corde projecti

D 2

san-

b) In Tentam. med. phys.

sanguinis facilius prompte cedentia latera earundem distendet, quam resistentias fluidorum omnium vincenti, quo ipso autem reddetur languidus, imo extensus & emortuus. Unum supereft observatu reliquis non minus dignum. Alterna est cordis vibratio, ita quidem ut mox agat, mox patiatur hoc viscus, seu quod idem, mox in systole, mox iterum in diastole sit constitutum. Systole itaque non continua est, sed subinde intermitit, systole vero sola, progressivi motus sanguinis per vasa, causa existere potest, adeoque cordis systole sanguinis motum non continuum, sed interruptum & intermittentem subinde, producere saltem posset; continuus vero est nihilominus versus cor refluxus, quod ex sanguine, ex incisa vena, æquali flumine profiliens appareat, & talis etiam necessario requirebatur, hinc patet cor universam sanguinis massam non volvere. Aserto nostro egregie adstipulatur BAGLIVVS *c.*) cor parvum membrum, tantum impetum sanguini imprimere non posse contendens. Melius vero BORELLI suffragium, *d.)* quippe qui eleganter & solide demonstrat, vim motivam absolutam, cordis musculum constringentem, ad totalem vim, qua sanguis in arteriis expulsioni resistit, eandem proportionem habere quam I. ad LX. sive resistentiam sexagecuplo majorem esse, viribus motricibus cordis.

## XVIII.

*c.) de fibra motrice c. 7. p. 358. d.) de motu animalium Part. II. Prop. 72.*

## XVIII.

Opus ergo erit, ut de causis motus progressivi sanguinis solliciti, spectata cordis insufficientia, alibi motivas potentias, suffulcantes illud, coadjuvantesque, conqueramus. Nec ab hoc viscere longius rece-dendi, necessitatem nobis videbimus impositam, imo potius ingentem elateris vim recenti tenentes memo-ria, latera vicinarum, & ex ejus ventribus prodeun-tium arteriarum, fibris validioribus instructa, oculis usurpare vix possumus, quin exempli nobis na-ca-tur meditatio, & has sine dubio, insita virtute circu-lum fore instauraturas, & promoturas. Et quid mul-tis? quis negabit easdem hic motuum vigere leges, stri-cto corde protrusum sanguinem distendere arterias, hincque ab ipsa distensione, proritari debere contractionem per omne earum systema, elateri fibrarum parem, moverique sic vitalem purpuram fortiter, li-bere, perpetuo, ad ipsa usque venularum principia. En igitur rem primo intuitu difficilem, hujus mecha-nismi beneficio feliciter succedentem, nullo spiritua-li gentem coadjutório, sed æterna elasticitatis lege ne-cessario productam. Quot ergo numeraveris arteriosos villos contractiles, tot videbis vectes parvulos, potentiis suis cordis virtuti famulantes. Atque ha-ctenus dicta, si attenta mente volvas revolvásque, ra-tionem reddes sufficientem & facilem, cur datis cana-libus corporis humani mere passivis circulus sit im-possibilis, cur posita elasticitate, conformatione, con-nexione auricularum, ventriculorum, & arteriarum

D 3

posi-

positoque ordinario & succedaneo sanguinis per has vias itinere; motus constrictorii & dilatatorii auricularum & arteriarum, phisica necessitate sint synchroni ventriculorum & auricularum, æque ac ventriculorum & arteriarum achroni. Cur uno ex his organis expanso, aut constricto nimis, mox reliquorum turbetur, cestetque functio? Quomodo diastroles causa sit systole, quomodo systoles diastole? Cur una non possit concipi sine altera, & cur ad humorum circuitum requirantur ambae? Cur in emortuo & languido corde, si possibile fuerit unicam restituere systolen, ad tempus aliquod excitetur antiquum motuum schema? Cur data sanguinis rarefactione, & expansione definita, mox detur citatio cordis motus, & pulsus fortior? Cur cordis nimia oppletio, depletio, stricatura, generet syncopen &c. Sed nunc in eam, ex qua digressi paululum fueramus, redeamus viam.

XIX.

Quem in arteriosas usque extremitates comitati sumus, moras adhuc ibi necit sanguis, a nobis nunc per vastum illud venosum systema, ad cordis thalamum, laborioso ut videtur itinete deducendus. Duæ sunt inter multas difficultates, facilem omnis negotii successum maxime, & præ reliquis, impedientes. Unam intelliges, si cogitare volueris hydraulican legem: augmentum celeritatis & tarditatis, in motu fluidorum per canales, se habere, ut se habet diametri ipsius canalis decrementum & incrementum; paucis: minori reddito diametro, celeriorem reddi fluidi

fluidi cursum, & contra. Jam si probe pensites coni-  
cam vasorum figuram, animadvertes ex allegata lege,  
flumen arteriosi sanguinis successive fieri debere cele-  
rius, venosi tardius, adeoque inter affluxum ad par-  
tes, & refluxum ab iisdem, nullam hoc respectu dari  
proportionem; quam tamen summe necessariam §. 17.  
innuimus. Altera difficultas nititur fluidorum, ceu  
omnium corporum gravium, descensione facilis, ad-  
scensu difficulter. Hoc animo tenens, observa vaso-  
rum in corpore directiones, & invenies raro adscen-  
dere arterias, venas autem maximam partem; hinc  
colliges motum fluidorum, hoc solo intuitu, in illis  
faciliorem multo, quam in his. Accedit validus im-  
pulsus in arteriarum principio, quo venæ plane earent,  
accedunt harum debiliores tunicae; ut alia jam mittam.  
Hoc igitur qui meditatur, perpendendo simul necel-  
litatem motus æquabilis, inter sanguinem arteriosum,  
& venosum, hunc impossibilem fore facile prævide-  
bit, nisi venæ instruantur peculiari quodam mecha-  
nismo, aliquibusque iterum præ arteriis gaudeant  
prerogativis. Varia vero hic consideranda, quæ si-  
mul in unum finem conspirantia, feliciter expediendo  
negotio sufficiunt. Primo quidem non sine insigni  
usu, anastomosi arteriis junctæ sunt venæ, id quod in  
plurimis partibus satis manifestum, VIEVSSENII <sup>e)</sup>  
experimentis, RVYSCHII injectionibus, f) & HEI-  
STERI

¶) Vide ejusdem novum vasorum systema. f) Vide ejus  
Opera ubique fere.

STERI laboribus, satis comprobatur; sic enim utrasque  
ceu tubos recurvos communicantes, motuque fluidorum  
hac ratione accommodos, considerare fas est. E-  
gregie postea, ne semel superiora versus moti sanguinis  
portio, pondere suo descenderet, valvulis, a FABRICIO  
ab AQPENDENTE <sup>g)</sup> primo descriptis & de-  
pictis, cautum est. Adjacent præterea plurimis ve-  
nis arteriæ sociæ, pulsuque valido & perenni illas com-  
primendo, contentum in eis sanguinem, per valvularum  
constrictionem retrogredi haud valentem, in capacio-  
res ramos urgent. Memoratu insuper dignæ, a mu-  
sculorum, venas ambientium fibris agentibus pen-  
dentes compressiones; quæ demonstrante BOREL-  
LO <sup>b)</sup> per valvularum machinam, duplo velociori  
motu, sanguinem versus cor protrudunt, ac ipse futu-  
rus erat, si nullæ darentur valvulae. Nec omittendum,  
venas in corpore, & numero, & capacitatem multum  
superare arterias, atque sic, dum duplo fere major sem-  
per in illis circulatur sanguinis portio, tarditatem flu-  
xus copia compensat. Forsan denique & hoc facit  
RVDIGERI Mechanismus, peculiari dissertatione ex-  
positus, <sup>i)</sup> ubi post peractam systolen ventriculo-  
rum & auricularum cordis, propter depletionem har-  
rum cavitatum, facto si non vacuo, spatio tamen ra-  
tiore saltēm materia ætherea pleno, incumbentem  
aërem,

<sup>g)</sup> In Operibus anatomicis & physiologicis. <sup>b)</sup> de motu  
animalium Part. II, Prop. 33. <sup>i)</sup> de regressu sanguinis per ve-  
nas mechanico.

aerem, in venoso sanguine detentum, sublato aequilibrio, versus id vacuum ruere, nitique, & fluidum cui inhæret secum abripere, & ad cor movere asseverat. Concurrunt igitur ad unum effectum causæ plures, eo magis vero necessariae, quo magis omnis venosi sanguinis refluxus difficultatibus pressus videbatur.

## XX.

Tria in superioribus, speciatimque §. XI. supposuimus, sine quibus nullus motus concipi potest, atque in præsentia ad circulum applicavimus; spatium nempe, vim motricem, & corporis movendi ad mutationem loci aptitudinem. De prioribus aliqua sumus elocuti, ultimum restat, uno verbo sanguinis mobilitas, tacta tamen jam aliquantisper. Systole causa est motus sanguinis per hactenus dicta, nulla vero datur systole sine prævia diastole, hæc vero ab influente cruce pendere debet; ergo clarum fit sanguinem systolis vi non posse moveri, nisi is gaudeat debita vi expansiva, seu spirituascentia, pro proritanda diastole causa systoles. En ergo primum sanguinis movendi requisitum! Porro motus sanguinis progressivus succedit per canales definito quodam spatio præditos, ergo opus est, ut ejus quantitas illorum capacitati apte respondeat. Impetratur autem hæc quantitas legitima, non obstante continuo fere novi sanguinis, mediante chylo, accessu nihilominus, per §. X. enim, ille, qui circulabatur antea, sensim revolvitur in serum excrementium, per colatoria ejiciendum, ergo succedere novus valet, sine aequilibrii inter solidæ & fluidæ cessatione. Denique sanguineus humor penetrare tenetur

E

netur

netur in exigui admodum diametri tubulos, hinc necessum, ut ejus particulae hunc magnitudine non excedant, paucis, ut ipse gaudeat justo gradu fluiditatis, quæ obtinebitur globulorum purpureorum parvitate, eorundemque per interpositionem sufficientem serosarum molecularium, motumque continuum, prohibita coalitione. Jam vero arteriosus crux ad organa motus colatoria, jacturam facit serosarum partium, ideoque transfusus in venas his erit ortus, movebitur etiam in his tardius, ergo aderit hic globulorum rubicundorum cohæsio major, seu quod idem ad spissitudinem proclivitas, hincque nisi hæc removeantur, novum ingressus circulum, ad introitum facilem in vasa minora erit ineptus. Removebitur autem spissitudo venosi sanguinis, accessione humidi, & cohæsionis resolutione: inde discimus quam provido consilio factum sit, quod vasa lymphatica multa, laticem quem vehunt, venosis vasibus tradere teneantur, & quod sanguis novo itineri destinatus, per pulmones antea transprimatur, ita ut respirationis beneficio, cuius considerationem ubiorem brevitatis causa mittere cogimur, floridior, rarioque ad cor redeat; binis enim his redit ei pristinus fluor, & cum eo ad novum circuitum aptitudo. Atque sic ex his simul consideratis patet, mobilitatem sanguinis supponere spirituascentiam debitam, quantitatem justam, & congruam fluiditatem, quæ omnia, & que ac modum quo impetrantur, jam perspeximus.

XXI.

Igitur, quantum limites quibus circumscriptum esse solet specimen inaugurale permittunt, circuitum san-

sanguinis perennem, per innumeros canales atque mæandros, paulisper delineavimus; atque ejus causas & leges ex manifestis principiis deducere fuimus conati. Jam ergo cognitis his, effectus & usus circuli, ea-que quæ supra in genere saltem tradi poterant, specia-tim nutritionis, & secretionum omnium, unice a dif-ferente diametro tubulorum secretoriorum, situ or-gani colatorii, illius remotione a corde majori mino-riive, vasorum directione aliisque mechanicis circum-stantibus deducendarum historiam, clariorem multo reddere, tradereque facili negotio possemus. Nolu-mus tamen his, ob ea quæ adhuc exponere meditamus, immorari diutius; sed potius, cum hactenus elateri & robori fibrarum, hincque fluenti earum actioni, omnes functiones adscripserimus, de eodem aliqua adhuc proferamus in medium. Definitam quandam partium constitutivarum, & singularem cohaesionem, ad elaterem corpori conciliandum, necessariam esse, Physici exponunt; ideoque & ab hac fibrarum elasti-citatem deducendam esse, nullum est dubium. Nec tamen ubi de harum potentias loquimur, in his acqui-scere nos sinunt, attentione accuratiori digna, quæ circa nervos, de quibus hactenus nil retulimus, oc-currunt phænomena. Quis enim ligato phrenico tremulum diaphragma, crurali stupidum crus, laxata ligatura stuporem & tremorem subito ablatum, abscis-sis vero utrisque, abolitionem motus plenariam, per-spiciens, haec talia facile & oscitantur negligeret? imo potius, quis non exinde summo jure inferret? esse ne-cessario debere in nervis, quodcunque demum illud  
*enit.*

E 2

fue-

fuerit, aliquid, quod fibrarum motum instaurat, juvat, minuit, impedit. Jam ego quidem non ignoro, non obstante summorum nostri ævi Anatomicorum indefessa industria, qua universum corpus attentis, imo armatis oculis pervestigando, singularum partium fabricam inquirere penitus conantur; nihilominus nervorum principia proxima, structuram, differentias, aliaque quæ circa eosdem exponenda forent, intricata hucusque, & satis difficultia permansisse. At enim vero nihil proinde eorum præstantiae decedit, non proinde corruunt omnes effectus, qui ab eorum integritate expectandi erant; quamvis contenti in subtili hac materia esse debeamus, si ea in summo probabilitatis gradu collocata viderimus, quæ sensus quidem fugiunt, attamen ratione percipi possunt. Dicitur hæc sunt de cavitate nervorum, ac de fluido, quod in illis circulare celeberrimi. Medici contendunt, cujus existentiam sat validis rationibus stabilire, *Ill. Dnus. PRÆSES, BERGERVS atque BOERHAAVIVS* conati sunt. Etenim sive immensam illam vasorum, cera Ruyschiana egregie demonstrandorum copiam, quibus cortex cerebri vultus fatus, unice constat, sanguinisque huc delati maximam molem, sane ad nutritiōnem partis haud necessariam, consideres; sive cerebri ipsius, cum aliis organis colatoriis convenientiam spegetes; (nihil enim impedit, quo minus medullarem substantiam esse propaginem ultimam arteriolarum corticis, asseramus) sive demum cogites, ferri ad caput per carotides & vertebrales arterias, novo accessu chylosi humoris fluidum, vixque e corde, cujus virtute subactus

aetus fuerat exaltatusque , egredientem sanguinem ;  
semper tibi si liber a præjudiciis fueris, nascetur fides,  
secerni intra cerebrum liquidum quoddam, illudque  
ob ea quæ monuimus, non nisi subtile atque activum  
existere posse. Quando ergo fibrillæ medullosoæ, in  
fasciculos collectæ, duraque & pia matre involutæ,  
nervos fistunt; quando hi in minutissimas extremita-  
tes distributi, ad omnes fibrosas partes exporiguntur;  
imo quando ad BOERHAAVII. b) mentem, fibræ  
musculosoæ omnes, merae sunt propagines nervorum,  
clarum evadit, succum in cerebro secrètum, posse de-  
rivari ad omnes fibras, hasque in statu naturali eodem  
plenas atque turgidas existere debere. Cum vero is  
necessario debeat esse activus, non inconcinne, iisdem  
robur & energiam largiri creditur.

non similis artificiis. XXII. VIII. 277

De influxu liquidi nervorum pauca attulimus,  
nunc influxus perennis causa investiganda est. Quem-  
admodum igitur a robore cordis & arteriarum, undi-  
que per corpus diffusus, atque hac lege organa colo-  
atoria singula alliens sanguis, id efficit, ut in ultimis ar-  
teriarum finibus, in secretorios tubulos degenerantि-  
bus, filtrantur, & separantur, imo promoveantur, &  
protrudantur per hos, humores certi, ita etiam cere-  
bri medullosoa substantia, propago corticalis, secre-  
tionem tenuissimi fluidi non tantum, sed & motum il-  
lius, debebit impulsui illarum arteriarum, ex quibus  
cortex totus conflatus visitur; qui tamen motus erit

E 3. placi-

A) Institut. med. 393.

placidus atque tranquillus, secundum naturam, ob  
crassioram tunicam musculosam, ante ingressum in  
capitis osseam capsam, ab arteriis abjectam & depo-  
sitam. Imo vero, quid obstat, quo minus fibrosam  
duræ meningis fabricam, a VIEVSSENIO, <sup>1)</sup> melius  
a PACCHIONIO detectam huc trahamus. Sane  
posterior, primus, quantum novimus exstitit, qui  
motum duræ meningis accuratius investigare &  
describere conatus est. <sup>2)</sup> Mox arripuit inventum no-  
vum, qui ubique fere ad illius experimenta provocat,  
amicus & familiaris BAGLIVVS; atque novum sistema  
medicum, vix tamen omnibus numeris absolutum,  
condens, meningem duram, continuo systolizare,  
& diastolizare asseveravit. Quamvis vero omnia, que  
de dura matre, ejusque usu, commentatus est BAGLI-  
VVS, communi suffragio ab eruditis adsunta non  
fuerint; nihilominus tamen non desunt Medici ma-  
xime celebres, qui systolen ejus & diastolen rationi  
non contrariam credunt, imo ad multos etiam mor-  
bosos effectus explicandos, egregie facere contendunt,  
quos inter illuſtr. Dnus. PRÆSES <sup>3)</sup> eminet.  
Attamen nos etiam non latet, dari viros eruditissi-  
mos, motum hunc plane vocantes in dubium. Evidem  
moveri duram meningem, ut experimenta BAGLI-  
VI in brutis instituta, taçcam; probat notabilis ille fra-  
tum, <sup>4)</sup> sed etiam non in dubium  
duræ

1) Nevrograph. l. 1. c. 2. 2) In tractatu de duræ menin-  
gis fabrica & usu. 3) Med. Syst. T. I. Lib. I. Sect. III. cap. 1.  
& ante Baglivum, jam Malpighius epilepsie sedem in dura ma-  
tre posuit & ejus motu turbato. Vid. ejus Consilia de Epilepsia.

aturæ crani casus, quem SALZMANNVS peculia-  
ri dissertatione descripsit, o) ubi quidem factum, ut  
ablata crani part, motus vel manibus palpari po-  
tuerit. At vero talem motum non duræ matri pro-  
prie deberi, sed arteriis tantum per eandem repenti-  
bus, BERGERVS p) statuit, syltolenque hujus o-  
mnem, plane inter figmenta ponit HEISTERVS. q)  
Imo sunt qui conceptu prorsus impossibilem decla-  
rant, cum dura meninx cranio utplurimum, ad co-  
rum mentem, firmiter adnata inveniatur. Nos con-  
trarias has hypotheses probe perpendiculariter, largimur  
facile arteriarum motum, observavimus etiam ipsi-  
met aliquot vicibus, meningem duram futuris crani  
firmiter adnatam, non vero toti, aut saltē hinc in-  
de aliquot filamentis. Quapropter ubi fibrosa ejus  
structura manifesta est, fibra vero omnis in corpore  
vivo, non mortua est, sed agit; non dubitabimus as-  
serere, duram matrem utique gaudere debere fibra-  
rum motu, sed placido admodum, & forsan cum in-  
testinorum peristaltico comparando. Hincque statue-  
mus, ipsam moderari succi nervosi flumen, atque sic  
quoniam omnes nervos comitatur, imo omnium  
membranarum est principium, cum toto systemate  
nerveo, motibusque inde pendentibus, maximum &  
arctissimum alere consensum.

## XXIII.

Sufficient nunc ea quæ diximus, pro theoretica  
vitæ

o) de mira crani fractura. p) diff. de Vita & Morte §. 12.  
q) in corollariis, diff. de Animi defectione, annexis.

vite consideratione qualicunque; ex qua quidem, proximo alveo fluere veram ejus descriptionem arbitramur, quod nempe vita omnis in perpetuo motu, a continua fluidorum & solidorum actione pendente, consistat, quibus demum utrisque rite se habentibus, duratio corporis, & conservatio a putredinosa corruptione, impetratur. Atque cum hæc Theoria sit simplex, facilis, perspicua, relictis remotis, proximas causas exhibens, ex ipsa corporis natura desumpta, aliisque requisitis instructa, quæ ad verum demonstrandi in Medicina principium ab *Illustr. HOFFMANNO*<sup>r)</sup> desiderantur; non dubitabimus etiam ex eadem aliqua elicere, atque nonnullis momentis, quomodo ex hac, tam Pathologiae, quam Præxos felicis fundamenta desumantur, commonstrarre. Missis igitur, postquam felici omni calidum innatum semet ipsum consumxit, humidum radicale exaruit, temperies quatuor humorum exolevit, Archæus licet excandefens, occubuit, spirituum turmæ fuere profligatae, & flammula cordis extincta atque emortua. Missis inquam, his & similis furfuris hypothesis, verborumque monstrosis, hanc sobriam & demonstrativam vitæ theoriam solam amplectimur, certa spe freti, fore, ut hujus ope, certioram & solidiorem Medicinam addidicisse, nos nunquam pœnitentiam.

XXIV.

Ubi igitur ad usum nostræ Theoriæ in praxi accedimus, ante omnia, ex legibus mechanicis sanguinis circulantis, genuinam pulsuum doctrinam depromimus atque

<sup>r)</sup> In Prolegomenis Med. Syst. cap. VIII.

atque explicamus. Motus species pulsus est, cum i-  
gitur motus omnis in genere, uti §.n. jam annotavimus,  
supponat vim motricem, corpus movendum, atque  
spatium, & pulsus sine dubio hæc supponet; imo cum  
in his absolvatur ipsa essentia motus, absolvetur etiam  
in iis essentia pulsus, adeo quidem, ut reliqua quæ de  
pulsu prædicari possunt, non nisi pro accidentibus ha-  
benda sint. Si igitur motrix vis fuerit valentior, erit  
motus vehemens, si languidior, debilis, indeque etiam  
si systole cordis futura est valentior, erit pulsus vehe-  
mens, si languidior, pulsus debilis. Si corpus move-  
dum mole sit magnum, motus ipse fiet magnus, si par-  
vum, parvus; adeoque si magna quantitas sanguinis  
simul e corde projiciatur, promoveaturque in arterias,  
eveniet pulsus magnus, si autem minor portio vi sys-  
toles cordis arterias intraverit, emerget pulsus parvus.  
Denique spatii intuitu, si movendum corpus illud bre-  
viori tempore emetiatur, erit motus celer, quando  
autem idem spatium longiori intervallo decurrit, mo-  
tus evadet tardus, atque eadem prorsus ratione na-  
scetur pulsus celer, & pulsus tardus. Hæc igitur tan-  
tum vera dantur motuum, ergo & pulsuum species, re-  
liquæque omnes ad essentiam rei non spectant, quor-  
sum etiam inter alias frequens pulsus referendus.  
Quoniam ergo vehemens & debilis pulsus debetur vi  
motrici vehementi vel debili, hanc vero, vel vivida vel  
languida diastole necessario insequiri debet, quælibet  
harum digito exploranti, pulsus vel vehementem vel  
debilem demonstrabit. Porro quoniam magnus &  
parvus debetur magna & parva quantitatib[us] simul pro-  
jecti.

jecti sanguinis e corde, sanguis vero projectus ciet distensionem arteria, haec autem pro quantitate ipsius sanguinis eam efficientis gradu differre debet, ex singula etiam diastole magna, colligendus erit pulsus magnus, ex parva, parvus. Supereft diagnofis celeris & tardi pulsus. Celer lane, quia unius ictus celeritas non potest dignosci, ex uno etiam ictu non poterit dijudicari, celeritas vero pulsus involvit sanguinem citius seu breviori tempore iter definitum quoddam absolvit, citior autem haec circulatio debetur citationibus vibrationibus cordis, sed citationes vibrationes cordis efficiunt, intra certum temporis intervallum, sèpius sibi succedentes distensiones arteriarum, seu quod idem, frequentiores diastoles; atque exinde clarissime patet pulsum celerem non nisi ex ictuum frequentia dignosci. Cum igitur frequens non possit existere sine celeri, sed potius ubi frequens adest, celer necessario præluponatur, fundamentum in promptu est, ex quo Illuftr. Dnus. PRÆSES in praxi celerem & frequentem, pro uno eodemque haberi posse asseveravit, quamvis nullibi neget, mente celerem & frequentem seorsim concipi, imo etiam in motu sibi non semper succedaneo, motum celerem & frequentem distinguui posse. Sed in motu continuo semper, uti circulus est, succendentibus sibi sine remissione diastolibus, atque ubi non mens, sed digitus distingere debet, celeritas non seorsim explorari, sed ex sola frequentia ictuum dignosci potest. Eadem etiam necessitate tardidatem pulsus, sola demonstrabit ictuum raritas. \*) XXV.

\*) Conf. de hac materia Illuftr. HOFFM. diff. de salubritate febrinum it. de theoria pulsuum, & Med. Syst. Tom. III. Sect. I. c. II. &c.

## XXV.

Latissimus jam nobis panderetur campus, si eundo per potiora latem artis nostræ capita , probatum dare per chartæ angustiam possemus, quam multa ini bi reperiantur, abstrusa admodum & intricata visa , facili tamen negotio ex iis quæ præmisimus circuli legibus , quibus omnis Medicina rationalis niti debet, intelligenda; quibus difficultatibus, cum etiam merito arduam aliquantis per de temperamentis doctrinam accenſendam pufemus, de his pauca quædam expōnamus. Sane antiquorum quatuor humores cardinales præter verba nil involvunt, neque etiam adhuc inter multos receptæ, de differentibus fluidorum corporis crasibus, opiniones rem exhauiunt; hæ etenim multis vicibus immutantur, adeoque etiam infinitis mutationibus subjecta esse deberent hominum temperaments, reclamante tamen experientia. Melius sine dubio ex nostris principiis succedet explicatio , ubi rioremque hinc, & pathologicis, & practicis respectibus fructum largietur ; ita quidem, ut ii etiam, qui risu hanc materiam excipiunt & pro inani penitus habent, de veritate rei convicti, nil quod opponant habituri sint. Scilicet, a jugi & continuo humorum omnium per corpus circulo, omnes functiones pendere manifestum est, motus autem circulatorius supponit elaterem fibrarum, vasā &c. Concipe nunc duo distincta corpora, atque in uno elaterem hunc majorem, in altero minorem, & mox intelliges, necessario circumlum inseguiri debere in hoc tardiorem & debiliorē, in illo celeriorem ac fortiorem. Finge porro

F 2

diffe-

differentia, intuitu diametri, directionis, numeri, vasa ; & exempli assequi poteris, diversam modificationem circuli, variantes secretiones & excretiones, variantemque ut per totum corpus, ita & per cerebrum, ejusque meninges, sanguinis transitum. Hoc posito, variabit liquidus nervosi secretio, indoles, energia, motus ; ergo variabunt omnia quæ exinde derivanda. Imo phrenitici, maniaci, melancholici, ebrii, te decebunt, mutato circuitu sanguinis per cerebrum, mutari mox inclinationes mentis, mores, affectus, ingenii vires, judicii aciem, indeque ex his omnibus desumes fundamentum confans, explicandi diversa temperamenta hominum, reddeisque facile rationem, cur eadem aëre, viatu, motu corporis, quiete, somno, aetate, vitæ genere, morbis, mutari possint, & mutentur.

## XXVI.

Atque iisdem circuli humorum legibus, quippe a quo penitus vita pendet, unice tantum inniti possunt omnia illa præcepta, quæ ad sanitatis conservationem obtinendam, tradi ab auctoribus solent. Egregia sane sunt ea monumenta, quæ a magno HIPPOCRATE, CELSO aliisque artis nostræ Patribus posteritati fuere tradita ; at vero si dicendum quod res est, magis ex repetita experientia, accurataque observatione, quam solidis & inconcussis rationibus enata : id quod quidem, nisi vehementer fallimur, uti de omnibus veterum laboribus, ita & de his dicendum putamus. Neque etiam plura jure nostro ab iis, qui Physices genuinæ adminiculis, & maxime corporis humani, genuinæque formalitatis vitæ notitia, plane destitueban-

bantur, desiderare atque expectare possumus. Felicius vero nunc, ubi a circuitu humorum, iisque quæ huic famulantur, omnes functiones deducendas esse novimus; sanitatem non nisi in libero, constanti, & jucundo functionum omnium exercitio constare perspectum habemus; ubi ex his recte concludere dicimus, quo liberior & æquabilior fuerit circulus, eo firmiorem & constantiorem sanitatem futuram; ubi naturam indolemque rerum non naturalium exploratam possidemus, atque horum usum varium, varia ratione afficere & alterare corpus scimus; sanitatis negotium perspiciemus. Felicius inquam, ex consideratione atque scientia, quomodo singulæ res non naturales operentur in solida & fluida corporis, comparata & combinata cum ipsis functionibus, carumque legibus, ipsaque individuorum & circumstantiarum varietate, facileque a priori determinabimus, quis rerum naturalium usus sanitatem efficiat, conservet, augeat, quis laedat, labefactet, imo penitus tollat. His nixi fundamentis, hisque instructi præsidis, intelligemus aëris frigidi, calidi, humidi, siccii, putridi subito mutati, noxas; temperati, puri, sereni, campestris, montani, ruralis, commoda. Hinc eruemus alimencorum simplicissimorum præstantiam? multorum, variorum simul assumtorum, nocivam indolem. Hinc ex natura sanguinis, ejusque ad motum requisitis perspiciemus, cur defectus & copia potus noceat? cur spirituosior non nisi modica quantitate concedendus? cur tenuior saturationi præferendus? cur frigidus adeo nocivus & quando præcipue? cur calidior, quando,

do, & quomodo salubris? cur aqua limpida, levis, continuo voluta cursu, jure dicatur medicina universalis? Idem principium demonstrabit nobis motus corporis, vecturæ, equitationis &c. usus magnos, ipsamque stabilientes longævitatem; otiosæ & desidiosæ quietis damna, vigilias absumentes & exhaustientes corporis vires, modum legitimum in capiendo somno. Ex eodem fundamento discemus, qua ratione animus sit sanitatis & morborum faber? quomodo pathematibus distractus agitatusque illi insidietur? quam misere diutinus & anxius mœror depascendo solidorum vires, circulantesque morando humores, affligat corpus? quam aperte terroris in circulum actio contrarietur vi vitæ, quam periculosos, brevis ille furor ira, intendendo impetuose sanguinis flumen, progignat affectus? quomodo e contra mens sana religionis & philosophiæ præceptis imbuta, firma, nec fluctuans unquam, sanguum etiam illud cui inhabitat corpus reddat, hujusque integritatem promoveat atque stabilitat? Sic igitur omnibus his doctrinis nixi, unam formabimus pro conservanda sanitate indicationem: circulum æqualem & placidum conservandum esse, sufficietram certe, si modo ætati, temperamento, sexui, idiosyncrasia &c. cuiusvis subjecti, rite & prudenter accommodetur.

## XXVII.

De sanitate plura exponere tempus vetat, jam ergo ad morborum genesin. Sanitas per haec tenus dicta, dependet a liberis atque haud interruptis secretionibus & excretionibus, reliquisque functionibus omnibus salvis. Sanus enim dicitur is, cui actiones homini propriæ, cum facilitate, oblectamento, & quādam

dam constantia exercentur. s) Tales autem quando concipiuntur mente, supponunt liberum, facilem, & æquabilem humorum circuitum; ergo a libero facilis & æquabili humorum circuitu pendebit sanitas. Cum igitur quis non sanus laborare debeat morbo, morbus involvet necessario statum sanitati contrarium & oppositum; erit igitur is omnis, ea corporis humani conditio, quæ lassionem actionum vitalium, naturalium, & animalium comprehendit. Ut vero sanitas supponebat circulum humorum integrum, ita morbus status sanitati contrarius, supponet causas contrarias; ergo circulum difficilem, inæqualem, turbatum. Eadem igitur necessitate qua sanitas ponebatur posito illo, ponetur morbus positio hoc, & quem admodum impossibile erat existere sanitatem sine illo, ita impossibile, existere morbum sine hoc, imo uti omne id quod ansam dabant illi, erat cœla sanitatis, ita omne quod huic, erit causa morbi. Circuitus vero humorum, tam diu ordinatus est & legitimus, quam diu sibi respondent in omnibus partibus systole & diastole, hinc quam diu præsto sunt ea quæ duplē hunc motum efficiunt; mox vero interruptus & inordinatus, quando systole & diastole ab æquabilitate recedunt, uniusque actio alterius reactioni non respondet. Duplex autem vitium saltem est possibile, vel aucta nimis systole, quæ comprehendit minutam nimis diastolen, vel aucta nimis diastole, quæ involvit minutam nimis systolen;

utrum-

---

s) Boerhaave inst. med. I.

utrumque vero efficiet circulum inæqualem, hinc etiam adversam valetudinem. Atque ex his spectaris, & curarius perpensis, evincitur; morborum formalitatem magis in solidorum motu vitiato, quam in fluidorum cratibus perversis quærendam esse. Porro cum symptoma morbi essentiale designet omne incommodum præternaturale, quod propter partium commercium, posito morbo, ejusque causa, functionibus reliquis, salvis adhuc, accidit; nulla vero alia detur partium corporis sympathia, præter communicationem vasorum, & consensum partium nervosarum, (ab *Illiustr. Dno. PRÆSIDE* sole meridiano clariorum redditum <sup>1)</sup>) certum efficitur, non nisi ex duplice hoc fonte peti debere, & peti posse, omnem symptomatologiam. XXVIII.

Ideam geneseos morborum brevem & succinctam dedimus, generalem quidem, sed genuinam & certam, eo quod nil alieni fovet, sed indoli naturæque vitæ, motuumque in corpore humano legibus, egregie & exacte accommodatur. Atque postquam nostra demum ætate, hanc lucem accensam fuisse læti observavimus, non possumus non deplorare veterum Medicorum sortem, qui tenebris undique circumsepti hac deficiente, nulla arte, nullo studio emergere potuerunt. Etenim quid Arabum commenta & nugæ huc faciunt? quid inanes humorum intemperies? quid læsæ facultates retentrices & expultrices aliud, quam sonus vacuus, & transitorius?

Quo-

<sup>1)</sup> Med. Sylt, Tom. III. Sect. I, cap. 5.

Quomodo Chymicorum operationes, salia, & sulphura ad motus in œconomia animali obvios quadrant? quid Archæus HELMONTII modo excandescens, modo plane furibundus ad explanationem Pathologias? nihil. Absit interea a nobis, ut ingenuorum virorum placita rigorose nimis excipiamus & perstringamus; dandum aliquid temporum illorum genio, condonandique haud difficulter errores, ex innocentia magis ignorantia, quam incuria & negligentia prognati. Anne enim in condendis hypothesibus, nullo vero evicto principio, aliud quid supererat, quam rationes, si non invenire, saltem comminisci? indulgere luxurianti ingenio, edere cerebrinos fœtus, commenta commentis superstruere, figmenta figuramentis demonstrarc? Novum denique præter spem omnium, Medicinæ, patefacto Orbi Harvæano invento, affulgebat jubar; sed eheu! nullum ea inde incrementum sensit. (durum dictu, sed verissimum.) Nos equidem nobis temperare haud possumus, quin credamus Artis filios omnes, eo tempore, admiratione stupendi phænomeni ductos, id r̄imatos fuisse diurno nocturnoque studio, sollicitosque de ejus causis, modo, effectibus: abjecisse hinc pristinas nugas, atque quos Medicina inde fructus sperare possit, quomodo hic perpetuus sanguinis circuitus corpori vel salutaris vel noxius esse posset, accuratissime investigasse. Sed foede decipimur. Inanibus intenti speculationibus viri alias summi, nova & aliena penitus parturiebant hypothesium portenta. Prodibat inter alios WILLISIVS excubias, spirituum, extinctiones, circumgyrationes, obnubilations

G

tiones, aliasque lepidas ejusmodi fabellas arti obtrudens. Melius se egisse ratus TAKENIVS, acidum & alcali pro causa morborum venditabat. SYLVIVS inter acidum, pituitam, & bilem constituebat Triumviratum. Imo circa finem superioris seculi, in Belgio adhuc dominans acidum & viscidum caput efferebat. Num vero vel uni diversarum harum sententiarum minimum, cum legibus circuitus sanguinis est commercium? aut numne potius, si omnes consideres, perinde erit, sive latus circuletur, sive minus? imo numne jure assiceremus, Medicinam hucusque ex demonstrationibus HARVÆ nil profecisse? Ita quidem omnino sentiendum censeo, credoque, cum una saltem possit existere veritas, eum demum immortaliter circa salutarem artem meriturum, qui nil fingendo, nil supponendo gratis, causas functionum corporis integrarum, latarumque, in eodem ipso, ejusque natura posuerit; neutriquam vero aliunde accersiverit, aut in proprio cerebello quæsiverit. Juvenis ego, Illustrum Virorum famæ, laudibusque, nec demere aliquid, nec adjicere valens, quantis prærogativis HOFFMANNIANVM Systema, eas ob causas, præ reliquis gaudere sciam credamque, modeste reticeo: eo lubentius, quo magis persuafus sum, dari æquos rerum arbitros bene multos, qui Medicinam rationalem æstimare rite norunt, eaque quæ circuli legibus, Anatomes accuratae, Physices, & Mechanices accessu illustratis, nixa, methodo plane demonstrativa conscripta exhibentur, non sine ineffabili voluptate, diurna nocturnaque manu volvere conveverunt.

XXIX.

Nos igitur, firmiter illi, cujus fundamenta §. 26.  
brevibus evolvimus, insistamus Pathologię; atque  
dum illius ductu motus maxime vitiatos, hiac soli-  
dorum vitia considerare debeamus, num res feliciter  
cedat, ulterius videamus. Non possumus vero hæc  
alia attenta mente meditari, quin animo illico ob-  
versentur notatu dignissima verba, quæ apud BA-  
GLIVVM nos legisse bene recordamur. *a)* Et quia  
in antiquis, inquit, recentioribus scriptoribus, de cau-  
sis morborum tractantibus, vix aliquid mibi de solidis oc-  
currat, sed tantum innumere circa fluida nuga, *E*somnia  
se obtulerunt; mecum constitui, in hac ariditate materie,  
nondum nostris Doctoribus familiaribus, meo marte usum olser-  
vare, vim *E*s potestatem solidorum, in corpore vivente, tum  
fano, tum morboſo. *E*c. Huc usque BAGLIVVS. Ne-  
que etiam facile quempiam peccitebit instituisse talibus  
vestigiis, quibus demum ad cognitionem rerum a-  
llias satis abstrusarum pervenire est licitum. Forsan  
etiam clarior sensibilitatis, cuius in scholis Medico-  
rum ubique mentio fit, idea ex hoc fonte peti pote-  
rit. Sane maximum sine dubio Medico facessit ne-  
gotium, diversa illa, & mire varians corporum indo-  
les. Videas enim homines, quascunque mutationes  
salva perferre sanitatem, multos vicissim, aëre, viectu-  
coeterisque rebus non naturalibus si præter consuetu-  
dinem utuntur, extēmplo offendit, ita, ut morbosis  
insultibus undique pateant. Atquæ talia corpora,

G 2

quæ

*a)* In animadversionibus in Theorice veterem.

quæ ita natura disposita existunt, ut levi data causa, in iis eveniant motus præternaturales, heteroclitæ, sensibilia vocitari solent. Jam vero ex antecedentibus patet, motus in corpore omnes deberi solidis, adeoque si corpus unum ad motus magis dispositum est quam alterum, dispositio hæc non nisi in solidis erit querenda. Loquitur vero experientia, infantem alimento dispepto, exigua dosi purgantis &c. laedi miscifice, adulturn non æque; mulierculam levi percussam terrore, improvisa correptam ira, ægrotare mox, virum neutiquam; morbo laborantem fractumque, vel aëris afflatu offendit, sanum non æque. Igitur infans, mulier, fracti morbo, præ adulto, viro, & fano homine erunt sensibiles. Videndum igitur, quæ inter corpora illorum, & horum, intuitu solidorum detur differentia, & tunc habebimus illud quod volumus. At monstrat autopsia, fibras partesque nervosæ in his inveniri, pulposas, molles, teneras; in illis robustas, duriores, firmiores: ergo in mollitie & teneritudine fibrarum, nervosarumque partium, pondendum erit fundamentum Sensibilitatis. Hinc igitur patet, cur spasmodici affectus, convulsiones, haemorrhagiae, excretiones humorum immodicæ, his frequentiores, ac illis. XXX.

Ex eadem solidorum indole ac conditione, circummodum moderante diversimode, morbos a sero impuro & caustico fotos, periodis suis & paroxysmis recurrentes declaramus. In abdomen exstruxta & consita conspicuntur viscera, per quæ sanguis trajectus rite a foribus liberatur & depuratur; docente id Physiologia.

Quod

Quod si ergo adfuerit in illis ea conditio, ut sanguis trajiciatur lente, ægre & difficulter; erit, impedita ipsius depuratio: hinc manebunt in eo quisquiliæ, redeturque sero impuro fœtus, ac inquinatus. Pone nunc ob oculos, corpus quodvis ita constitutum, pone committi simul errores in diæta, hinc nasci faburram in prima regione, constringi per intervalla corporis corticem, sicque impediri per universale hoc colatorium impuritatum genitarum ejectionem, alvum etiam subinde non respondere, hinc manere intus biliosas scorias; atque exinde colliges facile, aucta colluvie vitiosa, brevi tempore omnem humorum massam scatere debere sero corrupto & acri. Concpie adhuc in ejusmodi corpore dari partem quamcunque debiliorem reliquis, i. e. hujus fibras, cœterarum partium villis robore esse inferiores. Nuncque hæc omnia tenens probe, in memoriam revoca, quam supra, ut putamus, evicimus musculi cordis, pro motu humorum insufficien-  
tiam; hinc cogitabis mox, canalium villis incumbere hoc officium. Jam perpende illud BAGLIVI: x) *Flui-  
da supra & infra nesciunt, sed undique currunt indifferen-  
ter, prout hinc inde impelluntur.* Patebit inde impulsu-  
m humorum variare, pro variante robore partium. Ap-  
plica hoc ad dicta, & clarum evadet, per debiliorem partem ferri sanguinem ægrius, impeditiusque, quam per validiorem. Progredere ulterius, cogitando ejusdem Auctoris propositionem. *Proprium est sanguinis cir-  
culantis, quando tardiore motu procedit, ut serum ab ejus fini  
secernatur, majori vel minori copia, prout motus magis vel mi-*

G 3

nus

x) Specimine de fibra motrice lib. I. propos. III.

nus est retardans. Animadvertes inde necessitate physica, in parte debili fieri debere decubitum seri, eumque tunc procreare eum morbum, qui posita hac causa in hanc partem cadit. Durabit tunc morbus donec exhalaverit illud, vel fuerit dilatsum, restitante vero partis debilitate pristina, imo vero ipsa morbi vi inducta majore, genitoque novo in corpore morbi somite, sensim is colligetur per memoratas causas, eodem loco; sufficienti tandem copia praesens, novum iterum exclusurus paroxysimum. Una est haec fiendi methodus, sed multis partibus communis, hinc ex unico fundamento, intelliges plurimorum morborum periodorum geneses. Fac enim in corpore impuro fero farto, debilitate pra reliquis partibus, vel jam a perpresso morbo, vel ob causam quamcumque, laborare: pericranium, duram matrem cerebri, medullam spinalis; membranas oculorum, pulmonum, musculorum intercostalium, aliorumque, vesicæ; glandulas articulorum, manuum, pedumve: & explicabis recidivantes cephalalgias, hemicranias, epilepsias, intermittentium insultus, ophthalmias, asthmata, pleuritides spurias, rheumata alia, strangurias, arthritides, chiragræ, podagræ paroxysmos &c. Diversos vides affectus, sed loci intuitus saltem, hinc cognito ipsorum fundamento, praecavebis omnium reçursus, aut minimum leviores reddes una methodo, si partem affectam roboraveris, atque sic a decubitu immunem reddideris, si que somitem morbi substraxeris, removendo omnes cauas quæ ipsius favebant genesi, i. e. restituendo, acidulis maxime, sanguini liberum per viscera depuratoria iter, injungendo mode-

moderationem in vieti, cavendo faburra collectionem in primis viis, promovendo excretionem peripheriam, servandoque alvum bene respondentem; his omnibus enim simul etiam noxios humores a parte debili avertes. Notatu dignum hic est RIVERIVM, jam eandem plane methodum, circa prophylaxin infultus podagre, doloris ischiadici, rheumatissimi &c. commendasse.

## XXXI.

Haberemus nunc quæ de affectuum hæreditationum natura, de morbis ætatum, temperamentorum, de affectibus refractariis, incurabilibus &c. ex iisdem legibus circuli mechanicis, & solidorum conditione variante, deducere & demonstrare possemus; fertile enim admodum Medicinæ principiū selegimus. At vero, cum semper metus nobis sit, ne limites Dissertationis Academicæ excedamus, hæc omnia mittere, & de hæmorrhagiārum genesi, & ex hac sola, rationali fluente curatione, nonnulla exponere placet. Neque hic, si, quomodo, & per quas caulas circuletur sanguis, saltem attendere voluerimus, antiquorum vestigiis insistere, semperque rupturas vasorum, & plus quam corrosivam humorum intemperiem, ea erodentem & exedentem statuere opus erit; cum solus motus perversus & inordinatus, periculosisimos ejusmodi affectus progignere valeat. Faciamus periculum. Omnis hæmorrhagia supponit sanguinem extra vasā effusum, adeoque turbatum & inæqualem circulum. Circulus autem per supra dicta, æquabilis est, dato sufficiente spatio, seu viis apertis, sanguine ad motum apto, & determinata vi motrice; ergo non erit turbatus, nisi horum

rum unum mutetur aut tollatur. Pone vero vias interclusas, sanguinem ad motum non aptum, & vim motricem auctam nimis, vel imminutam nimis; & mox penetra circulus inæqualis & turbatus. Quoniam igitur hæmorrhagia hujus tantum est soboles, patet, hanc digni non posse, nisi dato spatio intercluso, sanguine ad motum non apto, & vi motrice inæquabili; & quia unum horum sufficit, ad efficiendum turbatum circulum, unum etiam sufficiet ad ciendam hæmorrhagiam.

## XXXII.

Videamus primo natas hæmorrhagias ex sanguinis vitio. Sanguis ut aptus ad motum existaret, per §. 21. esse debebat definite elasticus, fluidus, & sufficiente quantitate præsens: si ergo fuerit rarefactus, nimius, spissus, erit ad motum non aptus, hinc turbabit circulum æquabilem; inæqualis autem circuitus ansam dabit omnibus, qui eum physica necessitate insequentur, affectibus morbosis, ergo & hæmorrhagiis. Res omnis exemplis clarior evadet. Ponamus juvenem vitæ otiosæ ad levatum, spongioso corporis habitu donatum, hinc plethoricum, vinum assumpsisse copiosius, corpusque vel saltatione, vel alio motu fortiore exercuisse. Sanguis ergo, ob accessum potus spirituosi, calidior, turgidus, expansus factus; ob corporis motum auctum, validam muscularum agitationem, & inspirationem crebriorem, magis commotus, spumescens & elasticus redditus, expandet se ultra modum. Hinc spatium affectabit majus eo, quo continebatur antea. Nitetur ergo quaqua versum, distendet vasorum latera, venosorum maxime, superabit villorum resistentias, inde-

indeque perrumpet necessario eo loco, ubi ea datur minima; sive id fuerit in narium cavitate, sive in ipsis pulmonibus. En igitur hæmorrhagiam a nimio & elastico nimis sanguine. Curam ipsa illius natura expeditat, quod si enim causam sustuleris, id est turgescientiam sedaveris, hincque id effeceris, ut factus placidus, a vasis se coerceri patiatur, compositam videbis hæmorrhagiam, cui fini impetrando, sanguinis tempestiva missio, potus demulcens, emulsiones temperantes, potionem acidulatae, pulveres nitrosi satisfacent. Jam, quomodo spissus crux profluvium suscitet, videamus. Fingamus foemellam ad plethorae genesis pronam cibo uti rudiore, potum parcus affumere, corpus movere rarius, vitam agere sedentariam, non transpirare rite, moestitiae etiam subinde indulgere, hincque sanguinis spissitudinem contrahere. Adeo ergo sanguis nimius & simul spissus; hinc circulabitur ægre per totum corpus; ægerime per ea loca, ubi & secundum naturam motus languidus, hinc difficillime per uterus, & maxime illius venas. Venæ igitur, quia in illis lente procedit imo stagnat crux, non recipient promptitudine congrua, revehentque, vi cordis & arteriarum continuo advectum; ergo affluxus, & refluxus sanguinis uterini, seu flumen arteriosi & venosi, sibi non respondebunt. Hic ille colligetur sensim, pressusque ob appulsum continuum, transitu in venas intercepto, penetrabit in ultima arteriolarum emissaria, ubi vim non amplius sustinens, per eorum ostiola effusus fistet mensis nimios. (Suppresso producturus si in his stagnatio contingat.) Methodum medendi ite-

2977

H

rum

rum causa affectus, spissitudo docet; hinc hic indicantur attenuantia, aperientia gummata temperata, extracta amara, balsamica leniora, imo & pro re nata venæ sectio.

## XXXIII.

Vidimus hæmorrhagias culpa sanguinis procreatas, jam culpa viarum nascentes rimabimur. Ponimus hic nobis ante oculos injectiones Ruyshianas, quibus edocemur, omnes fere corporis partes, nonnisi ex meris componi canalibus. Jam cum hi omnes sint propagines arteriarum, & venarum, cum corde connexarum, hincque continui, ita ut sanguis unumquemque eorum transire non possit, nisi per alios antea fuerit traejectus; patet, data obstructione tuborum aliquot, enasci necessario debere turbas circuli, eo maiores, quo major est obstructorum copia. Concipiamus mente opus quoddam hydraulicum, ex multis diversique diametri canalibus, continuis ubique, coaliatum, in eoque ponamus moveri definitam fluidi quantitatem. Fingamus nunc in loco quocunque ipsi intercludi iter, ad hunc ergo appellens fluidum, inveniens remoram, deferetur duplicato impetu in tubum vicinum, ibique vel resistentiam hujus superans erumpet, vel si haec fuerit major, collectus nimis ibi, succedentis sibi liquoris cursum tardiorem reddet. Atque easdem leges hydraulicas, in canalibus corporis humani deprehendi, quis est qui negabit unquam? Veritas rei reddetur magis perspicua, adjectis exemplis. Arteria cœliaca, sub diaphragmatis fornice, ex descendente aorta, trunco unico emergens, dividitur in duos, vel secundum recentiorum observationem, in

tres

tres principales ramos, hisque varie distributis prospicit hepati, ventriculo, lieni, omento &c. Sanguis ergo, per trunci cavum adve<sup>c</sup>tus, secundum naturam, per hos distribuitur æquali flumine, exceptus demum suis venis, ad venæ portæ truncum deferendus. Aper-  
tis his viis omnibus, circulus hic rite succedit; sed videbimus mox plane aliam rerum faciem. Detur nobis Fœmina diuturnam mensium suppressionem passa, hujusque culpa oppilatum & obstructum gerens hepatis & lienis viscus, detur porro in corpore ægræ, major humorum copia, quam ut per salva adhuc va-  
sa libere ferri queat. Fluat nunc lege circuli per truncum arteria cœliaca sanguis, tantâ copia, quantam ramifications omnes postulant, sed ad hepar & sple-  
nem abeuntes rami debitam quantitatem, ob infar-  
ctum viscerum horum, non recipient, nihilominus a  
tergo continuum urgetur flumen, hinc omnis vis san-  
guinis per truncum adve<sup>c</sup>ti irruet in canales vicinos;  
ergo in arterias gastricas, gastro-epiploicas, breves  
&c. Impetus igitur & copia ad ventriculum delati,  
minimum erit duplo major solito, indeque quoniam hic ob membranarum teneritudinem, minima, vel  
saltem nulla datur resistentia, facile effundetur in ipsius  
cavum, ubi irritando nervosas partes, ciebit mo-  
tum peristalticum inversum, efficietque sic vomitionem  
cruentam. Medicus, quid hic facere debeat, ex  
causa mali prompte dijudicabit, hincque patet, nec  
acidulata huc facere nec adstringentia, imo venæ  
sectionem saltem palliative curaturam. Sola vero  
apertio viscerum sanationem perficiet, res dictu faci-

H 2 quatuor ob illis,

lis, executu difficillima, imo s<sup>e</sup>p<sup>e</sup> impossibilis. Vi-  
deas eam ob causam plurimas, sanguinem vomendo,  
ægram simul evomere animam. Atque ex his prin-  
cipiis suppositis, monstrabimus facile, quomodo præ-  
fente leviori hepatis infarctu, si simul confidere-  
mus perpendicularem venæ hæmorrhoidalis situm,  
ex necessitate, & passive contingat fluxus hæmorrhoi-  
dum? cur narium hæmorrhagia hepaticis & lienosis  
familiares? quomodo contigerit citata ab Illustri  
HOFFMANNO y) Hæmoptysis, ex labo viscerum  
funesta.

## XXXIV.

Restant hæmorrhagia, a vi motrice præter natu-  
ram constituta, provocata. Äquabilem requiri flu-  
idorum solidorumque actionem & reactionem, nisum  
& renisum, ad liberiorem & äquabilem circulum, ex  
superioribus innotuit. Fiet ergo inæqualis, quoties  
systole fuerit aucta nimis, vel imminuta nimis; at-  
que cum dato circulo inæquabili, in subjecto dispo-  
sito metus sit futuræ hæmorrhagia, utraque etiam ad  
eam inducendam par habebitur. Ponamus nunc san-  
guinem omnem, existente in omnibus vasis propor-  
tionata constrictione, circulari ordine debito. Fin-  
gamus subito in parte quacunque, fieri systolen, qua-  
cunque demum ex causa, justo majorem; sic cavitas  
vasorum coarctabitur, sic vis motrix erit aucta, non-  
ne igitur fluidum in constrictis vasis antea contentum,  
comprimetur fortiter, exprimetur vi, & urgebitur  
impetuose ad loca opposita? Sane, nisi omnia me-  
fallunt, physica necessitate hoc fiet. Sit nobis iterum

Juve-

y) Diss. de Hæmoptysi Observ. IX.

Juvenis plethoricus, in canalibus magnam humorum copiam alens, rixetur, corripiatur ira, aut quoconque modo sanguinem in citatiorem motum coniiciat, subitoque dein corpus liberius exponat auræ frigidæ; hinc constringetur omnis ejus cortex, exprimeturque & retropelletur ille, quo antea erat turgidus, sanguis. Urgebitur sic is ad interiora, regurgitabit ad truncos majores, vicinos cordi, & insculptos pulmonum lobis. Hic ergo producit palpitationem & respirationem anxiam primo, hinc distendens vasa, maximeque, quia præ arteriis facilius cedunt, venosa; per venas pulmonales ægre redibit ad cor. Indeque in his coacervatus, praesente præcipue visceris dispositione definita, morabitur arteriosi cruoris progressum in venularum principia, atque sic hic collectus distendet etiam sua vasa undique, ino penetrabit demum in ultima arteriolarum emissoria, sanguinem secundum naturam non vehentia, sed ex observatione RVYSCHII saltem transpirationi inservientia, haec diducet ultra suam sphæram vi, vel etiam pro re nata rumpet, indeque effundetur in bronchiales cellulas, irritabit eas lacefsetque, hacque ratione provocabit tussim, qua, per arteriam asperam ejectus, hæmoptysin sistet. Quid nunc in hoc hæmorrhagiæ genere consilii? an mox, quæ Medicorum vulgus prompte offert, adstringentia erunt porrigenda? nequam; cum enim causæ morbi tollendæ non sint accommoda, morbum non sanabunt, quin potius exacerbabunt. Remove vero extremorum spasmus, sanguinisque copiam minue, & in internis partibus ipsam

H 3

mos

mos proritantem, atque sic sedatum videbis proflu-  
vium cruentum. Si ergo datis antispasticis stricturas  
composueris, artus foveris, fricaveris, in aquam tepi-  
dam immiseris, indeque sanguinem ad ambitum cor-  
poris allicere conatus fueris; si interne mixturas di-  
scutientes, pulveres diapnoicos, subinde etiam infusa  
theiformia exhibendo id effeceris, ut leni madore  
perfundatur cutis, atque simul secaveris venam pedis,  
sublatum gaudebis paroxysmum, curamque sic perfici-  
es ex voto, si in fine pulmones cluere, iisdemque  
reddere suum robur non omittas. Ex his iterum,  
quæ nunc suppeditavimus, principiis demonstrabi-  
mus causas hæmorrhagiarum, variolarum eruptionem  
præcedentium. Datur enim hic materia acris & cau-  
stica nervosis partibus insidens, indeque spasmos &  
inæqualem sanguinis motum ciens, unde est quod com-  
parentibus variolis, hæmorrhagiæ cessent sponte. Hinc  
discemus qua ratione pathemata hypochondriaca, ut-  
pote spasmodis flatibusque ortum debentia, vel hæmo-  
ptyses, vel hæmorrhoides, etiam in non dispositis, eam-  
que ob causam mere symptomaticas, gignere valeunt;  
adeoque eo melius in usum convertemus observatio-  
nes *Illust. Dñi. PRÆSIDIS*, quas de hæmoptysi hypo-  
chondriaca, *a)* & de melancholia hypochondrica,  
cum hæmorrhoidibus nimis, *b)* publico communi-  
cavit.

## XXXV.

Tria adhuc verba dicenda supersunt, quomodo vis  
motrix fibrarum imminuta, seu earum relaxatio ni-  
mia, generare valeat profusionem sanguinis. Differt  
in

*a) Med. Conf. Tom. IV. p. 229. b) l. c. Tom. VII. p. 284.*

in eo hydraulicum corporis nostri opus, a Summo Ar-  
chitecto conditum, ab iis, quæ humana arte effingun-  
tur, quod illius canales non modo fluido concedant  
tranfatum, verum etiam cordis vi ad circulum haud  
sufficiente, actione sua & villorum contractione, cun-  
dem moderentur atque juvent. Quando ergo in vi-  
scere quodam hæc minuta est, aut deficit plane, san-  
guis in laxata vasa intrabit justo majori copia, atque  
ob eandem causam versus cor non rite retroactus, coa-  
cervabitur, creabit infarctus, aut si hoc visceris con-  
ditiones permiserint, proprio quasi pondere vasis elas-  
pus excernetur. Illustrat hanc Pathologiam fœmina,  
vel a puerperis multis, vel ob abortum, quem perpe-  
sa est, accidente diurno mœrore, vel alias quascun-  
que ob causas, uterum robo e justo haud prædictum,  
sed laxum admodum, gerens. Is igitur, quem arteriæ  
copiosius justo réceptum afferent, sanguis, in debili vi-  
scere, per quod ex ipsius natura ægre circulatur, hære-  
bit, cumulabitur, effususque demum, immanes conci-  
tabit hæmorrhagiæ, ex eadem causa sæpius recidivan-  
tes. Si igitur has avertere velit peritus artifex, mo-  
dum affectus perspiciens unam formabit indicationem,  
de robore pristino utero languido reddendo. Atque  
hæc quantum nos intelligimus unica est hæmorrhagiæ  
species, quæ martialia postulat, & debito modo ad  
hibitis levatur. Nec enim hic antispastica aliquid ef-  
ficient, nisi forsitan ipse paroxysmus stipetur spasmis, nec  
pulveres temperantes, nec nitrum, quod laxando fi-  
bras jam laxatas nimium, nocebit certissime; nec opia-  
ta, viatici potius loco in Charontis cymbam futura. Ma-  
nebit

joy. eccl. o. lV. m. I. a. 1. t. 4. q. 2. q. VI. m. T. lso Q. d. 2. (a)

nebit vero sua laus pilulis balsamicis, infusis, injectiōnibus, epithematibus, roborantibus, balneis tenui Martis croco imbutis &c.

## XXXV.

Sufficient hæc de hemorrhagiis, e solis circuli legibus turbatis nascentibus, de quibus adhuc illud notandum habemus, quod eæ sæpius, non ex simpli ci, uti eas depinximus, causa, sed frequenter ex pluribus concurrentibus, adeoque virtus sanguinis, viarum, & virtutis motricis simul generentur. Quod si fit, conjiciens illud artifex, omnes congrua medicina, justoque ordine impugnare, & tollere tenetur. Jam operæ pretium nos facturos arbitramur, si hac occasione, quid ex ea quam retulimus Theoria, febrium doctrina, commodi nanciscatur, brevibus inquiramus. Idem hæc, quod aliis morbis accedit, fatum experta est; quot enim commenta & miræ hypotheses, imo sæpe ridiculæ, circa hanc materiam natæ sunt? Modo enim putrilaginem in venis, modo fermentations, confectiones, effervescentias, intemperies humorum, cruditates chyli, modo Archæos ira percitos, modo tumultuantes spiritus, allegari videas; sed allegari. Si enim has, & infinitas alias ejusdem commentis opiniones lustres, nil solidis rationibus stabilitum deprehendes: vel enim audies verba, sesquipedalia quidem & speciosa, at vacua penitus, vel saltē fluidorum vitia animadvertes; de motibus, ex natura corporis, explicatis altum ubique silentium. Nihilominus tamen, si unquam alibi, certe in his morborum generibus, tot motuum vicissitudines occurrunt, ut

vel

vel levi oculo attendens easdem observare teneatur.  
Vti vero per superius demonstrata, omnis morbus,  
inæqualis, minusve legitime succendentis circuitus  
humorum foetus est, ita idem illud de febribus non  
nisi jure affirmabimus; & uti nullus datur, in quo  
non solida simul suos patientur manes, ita & hic ad  
eorum vitia sollicite attendendum erit. Docet au-  
tem autopsia, in omni febris accessu, constringi ha-  
bitum corporis undique, hinc frigus, hinc constric-  
tio vasorum, sanguinisque pressio ad interiora; in-  
deque tot mala ut anxietas, respiratio laboriosa &c.  
Loquitur porro experientia, nullam dari febrem, sine  
succedente suo tempore, vehementiori & celeriori  
cordis & arteriarum motu, sanguinisque directione  
auctiori ad peripheriam corporis; hinc iterum mala  
multa. Adeoque in omni febre datur duplex motus  
sanguinis inæqualis, nimiusque, vel versus interiora,  
vel versus exteriora; in quo absolvitur ipsa febris forma-  
litas. Prioris causam constrictionem fibrarum esse,  
sive systole extremonrum auctam, nemo dubitat, ne-  
que alter sine systole aucta cordis & arteriarum potest  
concipi, uterque ergo unam agnoscit causam, systole  
vero aucta uno verbo dicitur spasmus, ergo omnis  
febris erit affectus spasticus. Attenta observatione  
edocemur porro, febre posita, nullam dari corporis  
functionem illæsam, & salvam, sed omnes laborare,  
suaque pati symptomata; symptomata vero morbo-  
rum omnia, per §. XXVI, contingunt propter parti-  
um consensum, symptomata febrilia omnia ita se ha-  
bent, ut optimie & luculenter ex natura spasmi pos-  
sint

sint explicari, e) adeoque recte afferere poterimus, febrem esse spasmum universalem, hinc totius generis nervosi affectionem. Quicquid igitur ea tantaque pollebit vi, ut afficiendo nervosam partem quamcumque, omne systema in consensum rapere valeat, gaudebit etiam vi inducendi febrem. Et hæc sane Theoria evidens per se, toties mihi comprobata visa est quoties BAGLIVVM legendo inveni, illum varia experimenta cum brutis, pro sua hypothesi stabilienda, instituisse, nervosasque partes, duram matrem, medullam spinalem aut alias quasque, pungendo, lacescendo, aut ipsis spiritus acres, rodentes instillando parva quantitate, mox in corpore animalis tremorem, horrorem, horripilationem, rigorem, palpitantem cordis motum &c. atque sic artificialem quasi febrem produxit. Clarum itaque vel ex his evadere potest, quantum valeant ea, quæ nervosis partibus inimica sunt. Duæ autem in genere observantur causæ materiales, febriles proritantes spasmos (alias dari quidem non ignoro, ut frigus, animi pathemata &c. sed hæ ubi febrem generant, nulla datur in corpore materia febrilis, nisi forsan simul accedat) vel sanguis stagnans in nervosis partibus, easdemque ad motus sollicitans, vel subtilis, aeris & caustica materia quamvis mole exigua, ipsos ingenerans. Cum igitur cura rationalis postulet remotionem causæ morbificæ, (nulla enim febris cum salute ægri terminatur, nisi hæc præcesserit, factis tempore critico debitiss resolutionibus, ac se- & excretionibus) patet; hanc supponere liberum  
lan-

e) Vid. Illustr. Hoffm. Introduc<sup>tio</sup> in Tom. IV. Med. Syst. §. 4.

sanguinis & humorum flumen ad omnia colatoria, tubulosque horum apertos. Sed motus febrilis a peripheria ad centrum tendens, liberum ad colatoria flumen impedit, tubulosque secretorios excludit, imo præterea sanguinem ad interiora urgeando vi, funestas suscitat stases; igitur re vera erit morbosus. Beneficio vero alterius saltem, qui a centro ad peripheriam vergit, felix effectus resolutorius & excretorius sperandus, indeque hic genuina erit Natura febrem curans, aut BOERHAVIO dicta vis vitæ, causam illius tollens, saepaque per accidens fiet salutaris. Atque cum hæc quæ annotavimus ad omnes febres quadrent, clarum etiam fit, omne curandi fundatum nisi, cautione & aversione prudenti eorum dannorum, quæ minatur motus morbosus, congrua modificatione humorum & directione ad colatoria organa, attentaque, ob variantem naturalem in subjectis variis circulum, ipsius individui ægrotantis consideratione.

## XXXVII.

Brevissimis causas, naturam, & indolem febrium delineare conati fuimus, (neque enim cancelli quibus includimur prolixitatem permittunt) generales etiam saltem, ex ipsarum genesi fluentes stabilivimus indicationes, sed nihilominus sufficientes, & jam instar lapidis lydii nobis inservituras, quo, remedia num accommoda sint febribus, nec ne, explorare poterimus. Et sane tali' opus est maxime, in tanto horum numero, totque diversis, circa fructus inde expectandos, & damna ex iisdem metuenda, pugnantibusque inter se invicem opinionibus. Neque enim aliquem hæc talia

talia debito studio tractantem fugere poterit, quam aperte maximi Viri sibi invicem contradicant, dum unus summis laudibus effert medendi methodum, quem alter rejicit plane, dum hic medicamento divinas attribuit vires, quod ille penitus negligendum censet; omnibus tamen crebram experientiam allegantibus. Quid vero interea tyro, qui conscientiam olim illibatam servare cupit, atque per mortes & funera experimenta facere crimen reputat, nihilominus tamen in nullius Magistri verba jurans, auctoritatibusque non contentus, rationes desiderat? haeret ubique, prorsus quid credere debeat, quid minus ne-  
Icius, felix tandem si conquisiverit, & invenerit prin-  
cipia solida, ex quibus & morborum geneses, & cu-  
rationes, conclusionum ad instar possunt elici. Sed  
ad scopum proprius.

## §. XXXVIII.

Quam mirifice circa venae sectionem in acutis practici dissentiant, notissimum est; ita ut cuius hypothesi subscribendum sit, primo quidem intuitu fat difficile habeatur. Novimus enim, dari multos, qui necessariam nunquam, nisi in synochæ incursu, quia hic natura ipsa critice sanguinem ejicit, quod in aliis non facit, contendunt: cum interea alii, in omnibus acutis, pro circumstantiarum varietate, & prudenter sectam venam, maximo auxilio fuisse profiteantur. Nos sane si perpendimus probe, eo allaborandum, ut resolutiones stagnantium humorum in inflammatoriis, & in omnibus quibuscumque febribus, secretiones & excretiones promoteantur suo tempo-  
re;

te; facile etiam animadvertisimus, ad has juvandas placidum, temperatum, & determinatum requiri circulum: hunc vero iterum definitam & congruam proportionem, quantitatemque sanguinis movendi suppōnere. Hincque perspiciemus haud difficulter, febris indolem non determinare venæ sectionem, sive sit syno-cha, sive inflamatoria, sive exanthematica; sive natura sanguinem critice evacuet, sive minus, sed considerationem subiecti febre laborantis, plenitudinemque vaorum. Ast audimus jam nos temeritatis insimulari, objicique continuo, & ex circuli legibus, quas adeo magni ubique fecimus, probari posse, se-cta vena collabi debere peripheriam corporis, poros occludi, atque sic salutarem illam in febribus, per corticem corporis sientem exhalationem, sufflamini, & excretionem exanthematum, aut sordium qualiumcunque difflationem cum danno retardari. Largimur hæc omnia etiam facile, nihilominus tam novimus, factum esse sèpius, ut detracto sanguine, exanthematica materia, antea haud prodiens libere, mox cum insigni levamine prodierit, stabilema-que in ambitu corporis nata sedem, mōrbum felici-ter solverit. Loquatur pro nobis, & tueatur ea quæ diximus *Illiustr. Dñns. PRÆSES*, venæ sectione, puerperas quatuor ex faucibus mortis eripiens, missaque sanguine, purpuram, quod paradoxum videtur, non reprimens, sed provocans; *d)* variolas copiosiores, sèpius depletis vatis comparere contendens, *e)* mor-

I 3 bil-

*d)* Vid. Med. Syst. Tom. III. Cap. IX. Theor. VI. & VII. *e)* 1.  
c. Tom. IV. Sect. I. cap. 7. P. 154.

billorumque ægre prodeuntium excretionem, phlebotome facilitans. f) Patescit ergo ex his, venæ sectionem nec nocere promiscue, nec professe promiscue: hinc colligitur, rationem, cur aut noceat, aut profit, non in ipsa operatione, sed in corpore ægro, maximeque legibus sanguinis circulantis, querendam esse; ex quibus etiam illa, ut putamus, clarissime apparitura est. Scilicet fint vasa nimis plena sanguine, & erunt latera distenta nimis, hinc diastole nimium aucta, tantumque sic virtutis decedet systoli, quantum diastole debito major est. Systole vero cordis & arteriarum, causa est motus circulatorii; illa ergo imminuta, hic erit languidus & difficilis, hinc languidae secretiones & excretiones, adeoque & exanthematum excretio. Quodsi igitur excretionem hanc salutarem velis promovere, efficere debebis expeditiorem circulum, hinc auctiorem systolen, non vero augebis systolen, nisi minueris diastolen nimiam, nec minues hanc, nisi subtraxeris nimia causam: erat vero hæc copia distendentis, & ebullientis sanguinis; hinc si hanc imminuas, voti evades compos. Atque ex his appetet, quando, quomodo, & cur, venæ sectio & in exanthematicis possit esse utilissima, æque ac in inflammatoriis. Ex hoc principio hariolabimur quantitatem subtrahendi sanguinis, dabimusq; rationem, cur noceat phlebotome nimis larga, & nimis parca? cur penitus funesta, in corpore laborante defectu croris rubri? cur Gallorum methodus minimum in nostris regionibus locum non habeat? cur optime in principio admini-

f) l.c., Tom. IV. Se<sup>t</sup>t. I. Cap. 8. Observ. 8.

ministretur? cur denique & nonnunquam in intermit-  
tentibus celebretur cum fructu? cur vero scrupulosa  
electio venæ medianæ, basilicæ, cephalicæ risum, leges  
circuli intelligenti, moveat?

## XXXIX.

Uti igitur magni adeo momenti res est, secretio-  
nes & excretiones promovere rite, indeque pro hoc ob-  
tinendo fine, circulum prudenter ad omnia colatoria,  
maxime ad illud univeruale, quod cuti insculptum  
habetur, dirigere, fluminique huic iutam temperiem  
conciliare; clarum fit, ex hac sola consideratione, sta-  
biliendum fore regimen febre affectis injungendum.  
Atque ex hoc fundamento apparebit, quam absolum  
sit, ægrum includere concavi calefacto, stragulisque  
undique tegere, quo ipso, non mala, nimis & exagita-  
to sanguine, non possunt armata insequi quamplu-  
rima. Quod enim de variolis præcipit SYDENHA-  
MVS, g) cavendum esse ne nimium assurgat ebulli-  
tio, id sane in omni febrili æstu obseruatū est dignis-  
fimum. Ut vero calor nimius nocet, ita frigus ni-  
mium constringendo poros, & cohibendo saluberri-  
mam transpirationem, reprimendo id, quod salutari  
effectu ad ambitum corporis delatum, imo cogendo  
& coagulando humores, in altero extremo peccat:  
nobisque hinc observationem suppeditat, cautissime  
cum lechi & indusiorum mutatione mercandum esse.  
Felix igitur Medicus hæc observans probe! Felicior  
æger, tali se sanandum committens, qui & hic applica-

g) Operum Sect. III. c. 2, p. 176.

re didicit tritum illud: medium tenuere beati. Sed quid nunc eloquar de absonta illa medicatione, qua bezoardica sic dicta & alexipharmacæ calidiora, sine discrimine, larga & repetita dosi, febre affectis acuta porringtonunt? Evidem fœmellis forsitan condonandum crediderim, quando misericordia intempestiva erga ægros egenos ductæ, speque plenæ, fore, ut venenum eo citius a corde removeatur, talia collaudant atque obtrudunt; sed & harum benevolentia, laudato jam supra SYDENHAMO notante, b) charitasque, multo melius in pascendis pauperibus, quam iisdem medicandis collocaretur. At vero, quo fine, & ex qua Theoria, Medici hinc inde tam perversa utantur methodo, ignoro penitus: dolendum saltem, quod non raro innocens æger, errores hos, subortis deliriis, inflammationibus internis, morte præmatura commonstrare teneatur. Neque minus incongruum erit, viso hoc, in alterum delabi extremum, & refrigerantia, nitrofa, liberaliter, & sine judicio, assumenda præbere. Quando enim taxata supra calida, circulum nimium augent, haec laxando fibras, & globulorum sanguineorum activitatem infringendo, eum retardant, atque hoc ipso inevitables, & summe necessarias, pro impetrando salutari febris eventu, secretiones ac excretiones impediunt, imo fistunt. Ne igitur nos impingamus, attenti intueamur circulum, atque ut eum in æquo servemus moderamine, nullam inesse nec alexipharmacis, nec nitro, nec acidis, vim antifebrilem credamus, sed probe considerato, cum.

b) Operum Sect. VI. c. 3. p. 332.

cum quo res est, corpore, hujus indolis remedia accommodemus. Medium ille est, quo morbus debellandus, sed ut hoc fiat, iusta gaudeat temperie necessum est. Hinc id erit Medici officium, ut impetuosum nimis refreneret, languidum exciteret. Alia ergo ratione juvenis sanguine calido plenus, alia infans lymphaticis succis fartus erit tractandus. Aliam cholericæ constitutionis æger, aliud phlegmatico temperamento præditus efflagitatibet methodum. In hoc proderunt prudenter data alexipharmacæ, in illo nocturna sine dubio. In hoc damno existent nitrofa, in illo se commendatura certissime. Optima vero ubique erit temperatior & media via, SYDENHAMO duce feliciter calcanda, & invenienda.

#### S. XL.

Atque ex hac ipsa necessitate fluminis liberi, per omnes corporis canales, perque omnia colatoria, apparebit magnus ille humectantum & diluentium in febris usus. Sic enim laxabuntur hostili spasmò detentæ fibræ, sic temperabuntur, involventurque, acris & caustica eum inducentia humorum spicula, sic efficietur sanguis ad feliciter absolvendum constans iter habilis, trajectusque libere, per ultima omnium arteriolarum emissaria, inimicas deponet fordes, fomitemque exuet morbosum. Sed & hic iterum justum observabimus moderamen: Neque enim perspectis his, facile ægrum, in flore ætatis constitutum, exaltato turgentem astuantemque sanguine, aridisque faucibus & adusta lingua levamen efflagitantem anxie, sitiensem relinquemus, & cum iis, qui præter rem damna exinde metunt, a potu capiendo congruo prohibebimus; neque etiam ut torpidi natura, orbique crurore rubro, punitos viscidosque gerentes in vasis humores, decumbentes febre, liquida humectandi ac refrigerandi virtute donata, plenis buccis ingurgitando, salutare naturæ medicatricis opus impediant, vitæque vim fractam & labefactatam prorsus extinguant, autores eri-

K

mus.

mus, Quæ igitur magis hæc conservanda, & instauranda, quippe maximam ægro corpori opem pròmittens, eo magis cævemus, ne cephalalgias, vigilias, aliaque incommoda omni febri physica necessitate juncta, allevare cupientes, ad opita confugiamus, hisque perverso consilio adhibitis, suppetias ferentem cordis & arteriarum motum infingamus, naturamque quibus hostem intestinum ejectura erat armis, inconfulta meditatione exutam doleamus sero. Si potius nobis eo directus labor, ut id quod vitæ struit insidias, per congrua loca tempestive evehatur; hinc critico tempore fluere alvum non timeamus, sed letemur, atque cum ipse febrilis æstus, optimos quovis humores in liquamen excrementum convertat, cum genite fortes perpetuo ad vastum illum intestinorum canalem confluant, per regiam quasi viam ejiciendæ; sub ipso decursu febris, ut alvus fægnior iusto respondeat suo tempore, laboremus, caute tamen, & ita ut humores ex ambitu non revocentur, sed ut vitiœ saltem colluvies, jam in alimentorum canali hærens, & bono omne secrete, tempestive educatur, ne mora facta pejor, sanguinique iterum affusa purpuraceumque generans exantheia, quem in vado jam constitutum latabamur ægrum, subito versis in deterius cunctis, misere jugulet. Atque hæc de febribus,

## §. XL.

Antequam specimini noltro inaugurali Colophonem imponamus, paucissima adhuc de origine chronicarum affectionum, ex iis, quæ præmissimis principiis, eruenda, adnectere fas sit. Vidimus quid constrictio fibrarum seu spasmus idemque universalis valeat, quæ mala certa occupans loca, & particularis patret, jam inquirendum foret: sed né atomiam omittamus penitus, aliqui de eadem apponere fert animus. Vi des hic matrem, non subito, sed sensim nascentium affectuum, quo vero longius illa, in excludendis his foetibus, absunt ter-

pus,

Opuscula Sc. VI. c. 3. p. 332.

pus, eo magis etiam ii stabiles, durabilesque deprehenduntur. Omnia igitur ea, qua ita in corpus agunt, ut solidis subtrahendo debitum robur, matri faveant, ad foetuum etiam exclusi-  
nem manus porrigunt obstetricantes. Videas inde satos parentibus ægris, tristibus indulgentes meditationibus, curis fatigatos,  
studiis intemperantius incumbentes, sedentariam amplexos vitam,  
& in Veneris castris militantes nimis, diuturnis vexari passionibus,  
miseraque sepe ad vitæ terminum usque circumferre corpora.  
Pone enim systolen solidorum imminutam, & languens mox ac  
difficilis evadet circulus, cessabit inde vivida agitatio humorum,  
peribit sic eorum spirituscentia, atque coenitibus coherentibusque  
purpureis globulis nasceretur spissitudo. Hæreditit ita fluore suo  
orbus, & ad motum ineptus in vasculis capillaribus sanguis, co-  
rundemque ostiola obstruens ac occludens, viscerum oppilations  
infaretusque sensim causabitur. Hinc ergo avolens humiditas  
relinquet scirrhos, aut secedens & stagnans in suis vasis lympham  
genitis, ruptisque hydatidibus evasabitur, aut lymphæ confusum  
serum mora corruptum, creabit exulcerationes. Inde porro cel-  
labit sanguinis in visceribus depuratio, turbabunturque ex fun-  
ctiones, quas œconomia animalis ab ea, quæ patitur maxime,  
parte, expectat; & cum omnes ita conspirent, ut una alteram  
juvet, facilitetque, brevi videbis universum corpus oppressum  
morbo. Pro viscerum itaque, quæ atonia occupat varietate,  
variis enascentur affectus, mox enim si patiatur intestinorum ca-  
nalis, famosum illud hypochondriacum malum; si hepar, ca-  
chexia, icterus, hydrops, scorbutus; si pulmones, phthisis; si  
renes, calculus; si uterus sterilitas, fluor albus &c. exclude-  
tur. Cumque iis in locis, quam citissime fieri debeant in cor-  
pore dispositio, stagnationes, ubi vasorum directiones sua natura  
difficile redditum humorum iter, apparebit facile, quam conveni-  
enter mille malorum faber dicatur uterus, quam egregie portæ  
venam, malorum portam, illustr. S T A H L I V S appellave-  
verit.

verit. i) Quid vero tandem possidet ars nostra, quo altius indulantes visceribus, stabileaque, ut videtur, domicilium ibi nactos affectus expugnet, & cedere nolentes, invitosque quasi ejiciat? medicina enim si unquam alibi, certe hic opus est, nisi imbecillem, intestinorum hostium insultibus fractam penitus, & succumbentem lugere velimus naturam. Vividum illud fibra-  
rum robur, cordi & arteriis insitum, quo aucto non raro, ipsa alias aggreditur, quod ipsi infestum est, sepeque amolitur felicissime; robur illud, quo solo ipsa defendere corporis vitam valet, nunc languet, sensimque emoritur. Sed ehen! emortuo eo spes omnis salutis collabitur, & evanescit, nisi alienum auxilium id instruat iterum, erigat, novis induat armis, refractariumque & rebellem morbum arte & consilio aggrediat. At quanta hic opus prudentia, quantaque cautione, ne sero nimis, ne nimis praecepites languenti succurramus, imo vero ne tandem, illud, quod cito violenterque hostem excussurum nobis videbatur, eum potius validiore reddidisce, pertinacioremque, dolentes animadvertemus. Nulla hic vis locum habet, illeque qui sensim occupaverat sedem, non impetu uno vincetur, sed fatigandus continuo erit morbus, quo tandem aliquando desperabundus quasi, cedere cogatur. Hæc omnia ponderans prudens Medicus, non nisi blanda chronicis malis opponet remedia, quibus adhibitis, & prudenter ad tempus continuatis, cum gudio animadverteat, & simplicissimis, maximam DEVM indidiisse efficaciam, curarique balneis aquæ dulcis, acidulis, decoctis, lacte ejusque sero, motu corporis morbos, qui aura potabilia & tincturas solares eludebant, heroicisque medicinis exacerbabantur. Eximum enim hic præstabit usum observatio illius BAGLIVIANI mori-  
tuti. k) Frustra curas chronicos aut acutos morbos per purgantias, diaphoreticæ, diureticæ aliaque id generis, nisi solidorum est liqui-  
dorum

i) in Diff. de vena porta porta malorum.

k) De Medicina solidorum no. 25.

dorum naturam ad rectum ordinem deducas. In obronicis fibra-  
rum laxitas in præstinam restituenda soliditatem, in aevis vero  
crispatura & ariditas earundem, quibus liquidorum cursus varie  
interecipitur, atque turbatur. In utrisque enim liquida prompte  
current, si solidæ sint intentæ quantum necesse est. Si tamen  
culpa sui liquidum non currit, eidem tantummodo medendum.  
Manet igitur in omnibus, circulo humorum legibus certis ob-  
noxio, sua laus, ita quidem ut felix futurus sit Medicus, qui hunc  
solum pro vita principio, sanitatis fulcro, & natura morborum  
medicatrice habuerit.

## XLII.

His igitur obsignamus ea, quæ speciminis Inauguralis le-  
co proponere meditabamur, atque dum præsenti labori imponi-  
mus finem, DEO immortali, devota & religiosa mente humillia-  
mas grates decernimus, quod gratia sua ineffabili studiis nostris  
adesse, & ad cursum eorum abfolvendum, vires animi nobis ali-  
quas elargiri benignus voluerit. Totos nos, ubi nunc Academi-  
am relinquimus, illi, quem Supremum fortunæ nostra Moderato-  
rem agnoscimus, traditos & commissos cupimus. Annuat is  
porro & benedicat laboribus futuris, faxisque clementissime, ut  
& leves nostri profectus in Divini Sui Nominis cedant gloriam.  
Quod supereft Benevolum Lectorem, si quis forte futurus debita  
humanitate rogamus, ut juveniles hos ausus æqui bonique consu-  
lat, id quod nos eo certius impetratiros speramus, quando pu-  
blice pollicemur, nos semper eò allaboratiros; ut crescentibus  
per DEI voluntatem annis, ii, quos vel nos ipsi hinc inde  
offendimus, defectus, emendentur

ac suppleantur.

CLARIS-

CLARISSIMO NEC NON DOCTISSIMO  
**DN. CANDIDATO**

S. P. D.

**FRIDERICVS HOFFMANNVS,**

**U**ternūditionis Tuae Medicæ me haberēs testem,  
ea qua convenientia modestia exegisti. Neque Tuo  
petito deesse volui: nam prioris & emenda-  
tae Doctrinae Medicæ fundamentis Te egregie  
esse instructum, Tua, quam solus elaborasti, cui nec quic-  
quam adjecti, erudita disputatio liquido evincit. Vidi in  
has Te nova Doctrinae Medicæ fulcra, que sunt natura, ejus  
instin-


CARIS.

instinctus, intentiones, & ad certos fines conatus, molimina, apparatus, directiones, errores, tergiversationes &c. penitus missa fecisse, & quidem non sine ratione; siquidem re vera, nihil aliud sunt quam Veterum qualitates occultae, & facultates, nec in theoria, nec in praxi ullius frugi vel usus. Vidi vero non sine insigni animi voluptate, Te, circuli sanguinis, ab Altissimo DEO sapientissime instrutam mechanicam exquisitam perspectam habere. Nam secundum eternas, sive immortas veritatis motuum in natura leges, per quam ingeniose ex natura & virtute solidorum elastica, nec non fluidorum affectione ac gravitate, circularis sanguinis motus a qualitatem, proportionem, & perennitatem, itemque usum, & quomodo ab eo omnes actiones ad vitam sanam dependent, perspicue admodum explicasti. Id vero maxime in Tua Dissertatione perlecta animadverti, quod ex dissertatione jam olim anno MDCXCVII. de universali agente, a me habita, asserti, ad naturam, causas & affectiones motuum explicandas utilissimi, quod videlicet vis motrix, siue viens & reniens, omni corpori innata sit, & essentialiter inhaereat, ut non opus habeamus causam motus DEVM, spiritum, vel animam, aut aliud quoddam ens intelligens & immateriale fingere, me primum auctorem declares. Verum enim vero, scire refert Illustrum quidem LEIBNITIVM hanc veritatem in Actis erud. Lips. anno MDCXCV. proposuisse, me vero, non anno MDCXCVII, sed ante ipsum integro anno MDCXCIV. in Dissertatione, que theoremata phycica comprehendit, eandem jam tum publici juris fecisse. Insuper, Nobilissime Domine Candidate! egregio: Tuos in cursu Medico hactenus factos progressus, neque minus praestantes ingenii & animi Tui doles & virtutes


8mo,

amo, approbo, miror: atque in sinn gaudeo, Te jure  
quasi quodam hereditario, a beato Avo Tuo JOHANNE  
CHRISTIANO TRALLES physico quondam Vratisla-  
viensium, eruditione & praxi celeberrimo, cum quo jam ante  
quadraginta annos, uti Tibi monstravi, habui commercium,  
naturam, ad studium Medicum excolendum, accepisse capacissi-  
mam. DEVS qui immensus omnis boni fons, scaturigo, &  
largitor est, ulterius omni benedictionis genere Tuis studiis,  
& conatibus laudatissimi, gratia sua assistat, & ut omnia  
Tua ceptain Patriæ, agrotantum, Tuique emolumentum  
prospere eveniant, ex animo appreco, & simul famam beati  
Avi Tui si non maiorem, tamen parem, Tibi minor.

Vale.







Ül 923

ULB Halle  
004 179 358

3





SB

nur 4 Sammlungsteile

Retr. ✓

Walter Becker  
Buchbinderei  
Halle/Saale  
Thüringer Straße 24





2. B. 7.  
NE INAVGVRALI  
**NIMALIS**  
**RATIONEM**  
**TICO - PRA-**  
**CAM**  
ESIDE  
D HOFFMANNO  
I SENIORE & h. t.  
ANO  
E DOCTORALI  
ONSEQVENDA  
Anno MD CC XXXI.  
ICÆ ERVDITORVM  
NI EXHIBET  
TOR  
OVICVS TRALLES,  
SIL.  
DEBVRGICAE  
HILLIGERI Acad. Typogr.